BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 3.157

31.

VITA ET MIRACVLA
Serui Dei,

VINCENTII KADŁVBKONIS,

SIMONE STAROVOLSCIO
Scriptore.

INSTITUT OSSOLINSKICH

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S.R.M. Typ.
Anno Domini, 1642.

16.385

APPROBATIO.

EGo Iacobus Vstiensis S. Th. & I. V. Doctor ac Professor, nec non Ordinarius per Diæcesim Cracouien Librorum Censor, VITAM & MIRACVLA SERVI DOMINI VINCENTII KADLVBKONIS, ab Admodum Rñdo Dño SIMONE STAROWOLSKI, Ecclesiæ Collegiatæ Tarnoui. ensis Cantore ex certis & authenticis documētis conscripta, legi, & in omnibus Catholicæ veritati consona comperi, qui nimo vitam rarâ heroici animi in contemnendis mundi honoribus ac opulentia generositate, aliarumq; virtutum excellentia præfulgentem, miracula eximiæ Serui Dei Sanctitatis & in æternitate gloriæ testes. Quæ vt in maius fidelium solatium & infidelium cōfusionem Typis mandari possint, concedo facultatem.

XVII - 3157 - III.

Illustrissimo ac Reuerendiss: Dño, Dño,

PETRO GĘBICKI

Dei, & Apostolicæ Sedis, gratia

EPISCOPO PREMISLIENSI

NOMINATO CRACOVIENSI,

Supremo Regni Poloniæ

CANCELLARIO.

SIMON STAROVOLSCIVS

vtramq; Felicitatem.

SANCTI VINCENTII KADŁVBCONIS, pijssimi olim Cracouiensis Episcopi,

Ciſtercienſisq; poſtea familiæ religioſiſsimi alumni, vitã Tibi dedico, ac quaſi rediuiuum ſtatuo, ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE. Vt Te ſucceſſorem ſuum præclarũ Reipub. Polonæ columen inuiſat: Antiſtitem vigilantiſsimum, olim eiuſdẽ ſedis Præſul ſalutet: Senatorem Patriæ, & Ducem Seueriæ, ſapiẽtia quondam Venerandus Dynaſtes amplectatur & agnoſcat, ſuiq; ſimilem faciat. Cum enim Te videam, illis Virtutum & miraculorũ ſplendoribus delectari, quibus ſanctos

& os ſuos ornauit, Sanctorũ omnium caput Chriſtus, ſtatim animo conijcio, eius Te corporis eſſe mẽbrum, cuius illi quoque membra ſunt. Non enim facilè ijs delectaretur, qui vel Fidei cõfeſsione, vel morum prauitate ab illis diſſentiret. Virtus & Fides vniũt animos, quibus Spiritus S. hanc largitur gratiam, vt idem ſapiant, idem dicant omnes, & ſuaui quadam conſenſione animorum, diligentiſſimam bonis exercendis operibus, vitijs profligandis, virtutibuſq; cõſectandis nauent operam. Quam-

uis igitur diſſitis temporibus vixe-
runt, S. Staniſlaus Martyr, Ioan-
nes Grott, Ioannes Prandota, &
Vincentius Kadlubcus, Anteceſ-
ſores Tui glorioſiſſimi, Sanctitu-
dinem attamen domus Domini æ-
qualiter omnes cuſtodiêrunt, pro-
que veritate & iuſtitia pectora ſua
intrepido corde oppoſuerunt, ſi-
cut & alij zeloſiſſimi eorum ſucceſ-
ſores, Gedeon, Sbigneus, Iwo,
Radiuillus, Sanctiſſimi huius Ca-
thedræ Pontifices. Quorum dum
Tu veſtigia teris, & thronum ſum-
mo cum applauſu omnium con-

ſcen-

ſcendis, facilè dabis mihi veniam PRÆSVL AMPLISSIME, quod in laudes Tuas non excurram, nec partos in Repub. honores calamiſtris exornem, ſed potiùs Sancti Confeſſoris vitam ſub Tuis auſpicijs in conſpectum & lucem producam: Quia non ſum ita naturâ diſertus, vt poſſim pro dignitate omnes virtutes Tuas explicare, & quod Tibi Epiſcopo meo, quem conſtituit Dominus ſuper familiã ſuam, non humanas laudes, pro ijs, ſed æternam mercedem, vel huius Sancti Viri ſuffragatione exoptẽ.

Cùm

Cum nemo ita peregrinus in Patria sit, qui nesciat Sedem Cracouiensem primariam post Metropolitanam Gnesnensem esse, ad quam nonnisi magnæ & raræ virtutis viri promouentur, idque post tot exanthlatos in Repub. honores quos Tu pede indefesso PRÆSVL VIGILANTISSIME percurristi. Vt itaque Tuâ vigilantiâ, studio, atq; conatu, Magnus hic Dei Cõfessor VINCENTIVS, victis aduersariorum maleuolentiis & inuidia, in Beatorum numerum adscribi valeat, prout Tuo

fauo-

fauore è humiliori loco ſubleuari meruit, dum poſt obitum Venerandi Antiſtitis Martini Siſcouij, hanc Epiſcopam, bono omine, adminiſtrares, futurus & ipſe aliquando Sponſus illius: ideò quicquid in conſcribenda illius vita & miraculis operæ & ſtudij poſui, ſub Illuſtriſſimo Tuo nomine prodire volui, vt hoc ipſo apud omnes teſtatum efficerem, me Tibi Paſtori & Patrono meo non aliunde, poſt ſera fata, beatitudinem optare, quam à Beatorum fauore. Oro itaque maiorem in modum

vt Illustrissima Celsitudo Tua, hos qualescunque labores meos & solita humanitate complecti, & authoritate aduersus maleuolos obtrectatores tueri velit. Ita Te Deus, Ecclesiæ, Reipublicæ, amicis, atque nobis Clientibus, incolumem seruet,

Can-

Candide & Pie Lector
SALVE.

EA semper proborum hominum fuit consuetudo, & is tenor antiquus, vt lecta scriptoris cuiusuis pagina, non statim librum damnarent aut authorem, sed toto opere diligenter reuiso, scopum scriptionis & intentionem scribentis inuestigarent, atque tum demum iudicium ferrent; sed pro sua probitate semper in partem meliorem, & excusando defectus scriptoris. Secus maleuoli aut inuidi, qui etiam optimè dicta siniſtrè interpretantur, nec parcunt authori; præsertim si persona displiceat. Proinde Lectorem meum rogatum esse volo, vt si quid in opere hoc absonum, aut rustico stylo editum inuenerit, non statim damnet argumentum, sed pro suo cãdore, excuset ingenij defectum, & pro pietate, approbet erga Diuum affectum. Non enim eruditis conferri, sed simplicibus & in veritate laudanti-

dantibus Dominum, hac rudi scriptione prodesse intendimus; non ignari & illius: Quod & inter spinarum multitudines, etiam soleat interdum de frugis semine spica succrescere. Et ideo, qui Sanctorum vtriusq; sexus hominum vitas describendas sibi sumpserunt, cum ineffabili profecto fructu eas ad posteritatis notitiam transmiserunt, inquit, elegantissimus scriptor Surius, eo, quod tàm simplices, quàm eruditos homines, plus moueant, fortiusq; ad Christianam pietatem exstimulent Sanctorum exempla, quam Doctorum, aut Prædicatorum verba: pleniusq; sit, omnis ætatis & conditionis mortales opere docere, quã subtili ratiocinatione, rotundouè ore de virtutibus disputare. Hinc est quod in veteri Testamento Ecclesiasticus compluribus in locis Sanctorũ, qui in hac vita Deo placuerunt exempla commemorat, atq; nobis ob oculos spectanda & imitanda proponit. Sed & Matthias eximius ille Legis zelator, ab hac vita abiturus filios suos nulla re alia magis, quam recitandis Patrum gestis, ad

agen-

agendũ fortiter pro Deo, eiusq; sanctissimis mandatis, exhortatur & confirmat. In nouo autẽ Testamento, imprimis D Paulus ipse prolixus est, in præcedentiũ SS. Patrũ celebranda fide. Deinde Abdias Babilonius, suis Cõmentarijs extollit SS. Apostolorum feruentem Christi prædicationem, & mortes. Postmodũ D. Hieronymus, & Ioannes IV. Patriarcha Hierosolymitanus, diuersorũ Anachoretarum vitas, atq; demum innumerabiles Ecclesiasticæ Historiæ tum vniuersales, tũ particulares Scriptores, qui Sanctorũ virtutes & amorem Christi, tanquã inæstimabilẽ quendã thesaurũ Catholicæ Ecclesiæ, posteritati adimitandũ stylo florentissimo tradiderunt. Et meritò sane. Talibus enim & tyrones in fide Christiana roborantur, & qui progressi sunt in aliquo pietatis studio, spei fiducia animãtur, & Sanctorum societati, quos iã tenet beatitudinis sinus, quanto citius adnumerari conãtur. Ex horũ collegio nos vnius Vincentij Kadlubconis sanctitatẽ proponẽdã esse duximus, vita illius & miraculis breuiter cõ-

notatis: quatenus exẽplo ipsius, amorẽ cælestiũ potiùs quàm terrenorũ homines sibi proponãt, spretisq; honoribus & diuitijs temporaneis, possint in æterna beatitudine exaltari.

Nec tamẽ omnia hîc miracula intercessione D. Vincentij patrata adnotauimus, in quo Lectorẽ Piũ candide admonitũ esse voluimus, sed ea tãtũ, quæ verorũ hominũ relatu didicimus, & ex diarijs Monachorum decerpsimus. Alias permulta Sancti huius viri miracula narrãtur, quæ cũ adhuc èsset in viuis perpetrauit, sed veterum Monachorũ incuriâ non sunt scripto cõprehẽsa, sicut & ea, quæ ab obitu statim apud tumulũ eius fiebant, traditione eorũ qui proximè vixerant, in vulgus sparsa. Verũenimuero maluimus ista reticere, nè leuitatis arguamur, quam ex dubia relatione, gloriã, notitiæ antiquitatis, aucupari. Tu his quæ authenticè collegimus, Lector amice fruêre, nihil ambigens quod eorum lectio ingentes atque vberrimos fructus tuo animo sit allatura. Vale & Viue.

Vita

VITA ET MIRACVLA
Serui Dei,
VINCENTII KADLVBKONIS.

PRÆLOQVIVM.

QVi mortalem vitam noſtram conſiderat, præter mutationem & corruptionem, nihil in ea perpetuum inueniet. In cælis habitat qui rebus dat perpetuitatem, ſolus omnis non modo mortalitatis ſed etiam mutationis expers. Hîc ſub cælo; ſi quid diuturnitatis eſt, & memoriæ longæuæ, nonniſi ex virtute prouenit.

Fama

Fama quoque bona,& vt vulgo dicimus,gloria immortalis,ſuam mortalitatem habet In hac ſi aliqua perennitatis ſpecies oculis hominũ obuerſatur,hæc vel ab armis fit, vel á literis, vel à ſanctimonia vitæ: virtuſq; omnis non alijs, quam his tribus fundamentis nititur. Qui igitur bonum nomen cupiunt, & Supremo Numini res à ſe geſtas dicant, & in cælo, mortalitate exutâ immortalitatem promerentur, & inter mortales ob præclara ſua facinora, pro immortalibus habentur. Eiuſmodi virorum prouentus,ideo vbiq; terrarũ conſpicitur, quia generis humani Sator vbique ſemina virtutum mentibus humanis inſperſit, quæ tamen ad vberrimam & cælo dignam cum fructus ſegetem prouehere eſt dignatus, vbi Euangelicæ veritatis ſplendorem lucere voluit. In noſtra Sarmatia barbara olim & rudi litterarum, ſtrenui complures, militiaq; boni vixêre, aſt pietate, doctri-

nâ,

na, ſanctimoniaq; vitæ, ante aduentum Saluatoris in orbem, credo omninò nulli. Sed propagata demum Chriſtiani nominis claritudine in Arctoo, Lechia quoque noſtra inclyta, cæpit Diuûm domus haberi: Muſisq; è Latio & Græcia euocatis, Diuæ Libertatis templum vocari. Hinc maiores noſtros multis ante ſæculis res præclaras geſsiſſe, ſapientiâ & litteris claruiſſe, atque demum contemplatione diuinarum rerum innotuiſſe comperimus; qui & bellis pro gloria Crucis, contra Barbaros ſuſceptis, non dubitarunt mortem oppetere: & rebus domi prudenter geſtis, lumen notitiæ poſteritati calamo tradere, & agnitam Diuinitatem pio atq, Catholico ritu, pro vniuerſa Patria, imò pro vniuerſa Chriſtianitate exorare, conatu aſsiduo & mente caſta haud neglexerunt. Quos inter VINCENTIVS, cognomento KADLVBCVS, gente Roſeus, primo Epiſcopus Cracouieñ.

postmodum Professus Ordinis Cistercienſis, in Conuentu Andreouienſi. Is cum esset genere nobilis, potuit more cæterorum Equitum Polonorum armis gloriam quærere, & ad summum decus militiæ, vel cognatione, vel fortunâ promouente, peruenire: non tamen hisce sæculi blanditijs Genium suum passus est defraudare, sed ad spiritualem militiam conuersus, sanctimoniæq; vitæ, ac litteris deditus, Senatoriam simul atque Episcopalem dignitatem consecutus est. Et Patriâ prudenter, pro indole sua administratâ, litteriſq; ad posteros illustratâ, veræ sapientiæ tandem litauit, atque seipsum respexit. Hoc est, mundo & eius concupiscentijs dicto forti animo vale, se clausſtro mancipauit. Vbi verò, & quam gloriosè vitæ curriculum exegerit, ex subsequentibus, Lector amice, facilè pernosces.

CA-

CAPVT PRIMVM.

De Monasterio Andreouiensi, in quo Seruus Dei Vincentius, sæculo valere iusso, reliquum Pelagus vitæ tranauit.

MIra prouidentia Dei & ordinatio. vt cum nullâ re egeat, & sit largitor omnium bonorum, quæ tamen in gratiarum actionem offeruntur ei à nobis, suscipit clementer, & retribuit mirificè. Quod probè considerans, eximiè pius Antistes, Ioannes de prosapia Griphonum, cum fratre suo Clemente; Heroe incomparabili, Palatino Cracouiensi, tempore quo Diui Bernardi instituto, reformata Benedictinorum Sodalium Religio, reflorescere in Gallijs cœperat, de bonis hæreditarijs partem non contemnēdam Christo Deo obtulerunt; nidumq; do-

mus suæ villam Brzeźnicam, propè oppidum Andreouiense sitam, vnà cum eo, & circumuicinis possessionibus alijs, in dotem Ecclesiæ nouiter à se erectæ adscripserunt. Curâ illius commissâ Religiosis Fratribus Ordinis Cistercienſis, Morimundo è Burgundia euocatis. Vnde Andreouiense quoque Monasterium in fundo prædij Brzeźnicensis erectum, minor Morimundus appellari cœpit. Huius autem erectionis publicum Instrumentum, asseruatur in archiuo cœnobij vsque in præsentem diem; & est eiusmodi.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis.

QVia nos qui dispensatores Ecclesiæ sumus amplius cæteris Deo debemus, & quo plura de donis eius ipso largiente accepimus, eo sane vigilantius nobis curandum est,

vt

vt quæ nostræ tutelæ credita sunt, hæc studeamus procurare, vt quando messis Diuina aduenerit, fructum nostri laboris mereamur percipere. Honestum ac beatum constat esse votũ immo sanctũ ac laudabile patet esse commercium, dare sua transitoria, & recipere pro his æterna, sibi displicere & cælestia possidere. Huius itaq; tam sanctæ negotiationis amore. Ego Ioannes Polonorum Archiepiscopus superna inspirante gratia medullitus igneſcens decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ suæ diligens, simulq; in libro vitæ cum iustis conscribi cupiens, Patrimonij mei liberam portionem Villas has, scilicet Rakoßyno, Potok, Likaßowo, Lantcezyno, Rakowo, Tárßáwá, Chorewá cum Decimis suis Præterea Episcopus bonæ memoriæ Maurus qui eandem Ecclesiam consecrauit, & Radosth successor suus Decimas super villas has addiderunt sub Anathemate Ozarowice, Preneſtawe, Michowo, Bechlowo, Borowa, Prekopa, Linowo, omni-

um bonorum largitori Deo ad gloriam & laudem eiusq; Genitrici, nec non & Decimam villæ quæ vocatur Holosyce Beato Adalberto ad honorem cum intimæ deuotionis humilitate contradidi. Et exinde in vna conscriptarum villarum Brysinik videlicet domicilium Deo fieri, dotari, inuestiri, cum deuota desiderij puritate institui. Pro cuius Domicilij Spiritualiter disponendi gubernatione, pro continuãda ibi Diuinæ seruitutis administratione, pro statuenda etiam ibidem Regularis ac Spiritualis disciplinæ Religione, viros quosdam Spirituales militantes Domino sub Regula Beati Benedicti in Ordine sancto Cistercienſium, à quo sequestrata est omnis iniquitas, vel prorsus relegata impietas, prout potui, reuerenter aduocaui, suscepi, dilexi, locaui. Quibus in eodem Brysinek scilicet loco Spiritualiter degentibus villas præfitulatas cum redditibus earum vniuersis in vsum liberrimum ex tunc & in perpetuum quasi pauperibus Christi, pauper ipse sine

vlla

ulla contradictione delegaui. Quas ergo oblationes nostræ deuotionis pias, & vt speramus Domino acceptas hac in membrana litteris signari voluimus, ad notitiam successorum nostrorum, vt inuiolabile robur obtineant per succedentia tempora, ceram ipsi imprimi præcepimus, insignitam sigillo nostræ dignitatis, & authoritate Domini nostri IESV CHRISTI, nec non & Principum Apostolorum Petri & Pauli, ac Domini nostri Romanæ Sedis Episcopi, & omnium Orthodoxorum Patrum, & nostri Banni sententia eis consummationem illibatam indicimus, nè quisquam vel Magnificentiæ homo, vel potentiæ præsumat supra dicta donaria aliqua ratione alienare ab Ecclesia cui donatâ à nobis tantâ authoritate constant. Si quis autem in tantam mentis suæ cæcitatem ceciderit, vt post hanc nostram confirmationem adeo terribilem, prædictam oblationem quocunq; modo inquietare præsumpserit, sciat se cum IVDA prodtore Domini

no-

noſtri IESV CHRISTI *ſententiam æternæ damnationis ſubiturum. Niſi forte pœnitentiâ ductus cuncta ablata legaliter Eccleſiæ reſtituat quàm læſit cum omni cõpenſatione Canonica. Obſeruatoribus verò ac amatoribus huius noſtri inſtituti, ſit Domini pax & pium gaudium cum omnibus ſanctis nunc, & per infinitâ ſæcula. Facta eſt autẽ hæc oblatio ſiue donatio noſtræ humilitatis. Anno Milleſimo, Centeſimo Quinquageſimo Quarto. Primæ Sedis Pontificale regimen tenente Domino dignè ac verè Beato Eugenio Tertio, nec non Boleſlao, Meſcone, Henrico germanis Fratribus Principatum in Polonia tenentibus, multis aſtantibus Nobilibus, quorum hæc ſunt Nomina. Ego Ioannes Archiepiſcopus & Clemens frater meus Dominus Iaczo, Michora, Mechiſlaus, Martinus Zbiluth Nicolaus Tribunus, Comes Bogomelus.*

CA-

CAPVT SECVNDVM.

De auctione redituum Monasterij Andreouiensis per Vincentium Kadlubcum dum adhuc in Pontificatu esset

AVxerat dotem Cœnobij Brzeznicensis (nondum enim appellabatur Andreouiense, propter exigua tunc initia oppidi Andreouiensis, quod non nisi processu temporis consurrexit, & á sua celebritate Monasterio quoque nomen dedit) supra nominatus fundator Ioannes Archiepiscopus Gnesnensis, præterque bona in priuilegio expressa, multas villas per successionem ad se deuolutas ijsdem Sodalibus iterato dedit: decimasq; complures mensæ suæ Archiepiscopalis dicto Monasterio attribuit. Cuius egregiam pietatem æmulatus deinde incompa-

rabilis vir, Gedeon Episcopus Cracouiensis, quoniam & ipse de domo & stirpe Griphonum ducebat genus, decimas nonnullas Monachis Andreouiensibus à mensa sua dedit, & perpetuo inscripsit. Sed & qui templum eorum cõsecrauerat, anteceſſor Gedeonis Maurus Gallus, in honorem Beatissimæ Virginis, sub cuius titulo Ecclesia erecta, & sancti Adalberti Martyris, decimas manipulares in certis villis donauit, & publicis monumentis consignauit. Cuius deinceps immediatus succeſſor, Gaudentius seu Radost, non modò anteceſſoris sui ratam habuit donationem, & speciali Priuilegio confirmauit, sed superadditis adhuc alijs tribus decimis, suam bonam largitionem exauxit. Vtriusque autem huius liberalitatem in Sacrum Ordinem Cistercienſem & Cœnobium Andreouiense confirmauit Vincentius Kadlubcus, cum post obitum Fulconis, Episcopam Cracouien-

ensem regendam suscepisset, adiunctisq; nonnullis decimis: De sui patrimonij proprietate Karwow & Nikisioł'ka villas attribuit Monasterio Coprzywnicensi, eiusdem instituti Cisterciensis, Monachis, à Cazimiro Poloniæ Monarcha exstructo. Quæ verò, in augmentum dotis Andreouiensibus contulit, ea eiusmodi instrumento comprobauit.

In Nomine Sanctissimæ & Indiuiduæ Trinitatis.

EGo *Vincentius Dei prouidentia Cracouiensis Episcopus. Omnibus tam præsentibus, quam futuris salutẽ in perpetuũ, &c. Quia magna negligentia culpa est, culpari super eo nolumus, quod ex officio commisso in alijs corrigere tenemur. Vidimus enim Cœnobij de Andreiow Priuilegia ex neglectu parum deleta & mutilia & ad interitum & lapsum domus la-*

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

bentia. Vnde dignum duximus imminènti temporum ruinæ ſuccurrere, quia ſatiùs eſt ante tempus occurrere, quàm poſt tempus remedium quærere. Communicato igitur cum fratribus noſtris conſilio totius Cracouieñ Eccleſiæ tam perſonarum, quam Canonicorum approbatione & conſenſu prædicti Cœnobij Priuilegia innouare ſtatuimus, futuris in perpetuum ſeclis valitura, ne de ipſorũ aliquomodò fide ambigatur, quæ ſub tantorũ ſolennitate, ac prudentia virorũ conſtat eſſe roborata. Priuilegia hæc ſunt: Ego Maurus Dei gratia Cracouienſis Epiſcopus & ego Radoſt eiuſdem Mauri ſucceſſor dedimus Deo & Fratribus prædicti Cœnobij de Andrzeiow decimas ſuper has villas, Rákoßyno, Potok, Łyſakow, Łanczyno, Rákowo, Tárſáwá, Chorzewá, Przaſtaw, Konáry, & in vtraq; Mycho vice in Berlowa, Borowa, Prokopo, Linowo, Poloßyno; facta eſt autem hæc oblatio ſiue donatio noſtræ humilitatis. Anno Milleſimo Centeſimo Quinqua-

quagesimo Quarto Primo Pontificale regimen tenente Domino dignè ac verè Beato Eugenio necnon Duce Boleslao Meſcone, Henrico germanis fratribus principatum in Polonia tenentibus: Multis nobilibus aſtantibus quorum ſunt hæc nomina. Joannes Archiepiſcopus, Clemens frater eius, Dominus Iaczo, Michora, Mechiſlaus, Martinus Zbylnik, Nicolaus tribunus, Comes Bogumelus: Item ego Gedeo ſupradictæ Cracouień: Eccleſiæ Epiſcopus addidi Deo, & Beatæ MARIÆ Virgini, & S Adalberto, & Fratribus iam dicti Cœnobij in conſecratione veteris Eccleſiæ decimam ad menſam meam pertinentem omnium ſubſcriptarum villarum in Epiſcopatu meo poſitarum, quarum nomina hæc ſunt, Viazd, Błonie, Senth: Błonika, Skowrodno, Pauenchic, Serekna, Buſkow, Tropiſowo, Biała, Grambołow, Beſen, Mirzawa, Branachia, Skroniow, Waſlino, & alterius villæ quæ ſedet ſuper Nidikam, in qua ſedent Konarij duæ, hoc eſt, inter vil-

lam Buginoij & villam Niegostaij: Testes huius donationis sunt hi. Dominus Meßko, Dominus Kazimirus Domini terræ, Abbas Tineceń: Hildebrandus, Abbas de Caluo monte Syluanus, Abbas de Sieciechow Alnodus, Abbas de Lochna Symon, Dominus Maximil: Dominus Quæcoslaus, Gneomirus, Stephanus, Jacobus, Ioannes, Clemens, multi comites Nobiles Capellani quorum nomina scribere longum esset. Sunt autem hi per quos facta est & confirmata innouatio: Ego Vincentius Cracouiensis Episcopus Kylstaus Decanus, Januß Archidiaconus, Boguchalus Præpositus, Benedictus Summus Magister, Laurentius Cantor, Nicolaus Custos, Henricus Subcustos, Rudolphus Sandomirienſis Archidiaconus, Ioannes Crusuiceń: Decanus & prædictæ Ecclesiæ Canonicus, Richardus, Blasius, Pancratius, Woyko Alexander, Stephanus, Petrus cognomento Barrabas, Dominus Nicolaus Pantoslaus, Troianus Canonici. Ego postea Vincentius

sæ-

sæpius iã dictæ Crac. Ecclesiæ humilis minister in cõsecratione istiꝰ Ecclesiæ addidi, supra nominato clausꝛo, & Fratribus ibidẽ Deo seruiẽtibus triũ villarũ Decimas, quarũ vocabula subnotãtur, Gonozinice, Wilchice, Negostawice, Testes Comes Gõricius, Comes Iacobus Abbas de Caluo monte, Abbas de Camiena, & alij quam plures Nobiles & mediocres qui in eadẽ cõsecratione interfuerũt. Quicunq; itaq; de istis omnibus abstulerit, vel dempserit præter voluntatem Abbatis, & fratrũ sit anathema maranatha. Facta est autẽ hæc innouatio siue confirmatio. Anno Verbi Incarnati. Milesimo Ducẽtesimo Decimo Episcopatus verò nostri Anno secũdo.

Ex Inserto in nouos libros Beneficiorum Monasteriorum sub Sigillo V. Capituli Cracouien. desumptum.

Locus ✠ Sigilli.

M. Lucas Groblicki publicus
Actorum V. Capituli Ecclesiæ
Cathedr: Crac: Notarius.

CAPVT TERTIVM.

De Pontificatus administratione, Resignatione dignitatis, & ingressu Religionis, Inimitabilis viri, Vincentij Kadlubconis, variorum Scriptorum testimonia.

RAra eiusmodi modestiæ & humilitatis exempla in omni æuo reperiuntur, vt conscenso quis summo dignitatis apice, vel fortunam quam maximè ambiebat deserere vellet, vel commoditatem quæ cuiusque sensum titillat sincero animo postponeret. Fuêre attamen non pauci Numine sacro afflati, qui cum diuersis temporibus, diuersisq; in partibus orbis, spretâ mundi fallacis pompâ mentem recollegerunt, tum inclytum etiam Cistercienſem Ordinem ingressi, in humilitate spiritus Altissimo seruierunt. Nume-

merantur passim à qualibet Congregatione Religiosa Principes, Duces, Imperatores, Reges; & quidem sexus vtriusque, qui sanctitatem vitæ, diuitijs & diadematibus prætulerũt. Longumq; eiusmodi virorum cathalogum, vel soli Cistercienses recitant: & quos inter Magnum Reipublicæ Polonæ Senatorem, Sanctissimumq; Ecclesiæ Cracouiensis Præsulem Vincentium KADLVBCVM connumerant. Qui sub Theodorico, natione Gallo, Secundo Abbate Andreouiensi (nam primus Andreouiensis Abbas, sub quo erectum & fundatum erat Monasterium accitis Fratribus è Burgundia, Virricus appellabatur) resignato Episcopatu, Anno á Natiuitate Domini, Millesimo Ducentesimo Decimo octauo, Religionis habitum susceperat. Cuius rei mentionem diuersi Scriptores fecêre, sed imprimis vetustissimus rerum Polonicarum connotator Ioannes Dlugossus. Tomo Hi-

ſtoriarum ſuarum Primo. Libro verò Sexto, in talem modum.

Anno Domini, 1207.

POſt mortem Fulconis, alias Peĺka Epiſcopi Cracouien. in locum eius conformi electione Magiſter Vincentius KADLVBKONIS de Karwow vico propè Opatow ſito Præpoſitus Sendomirienſis cùm eſſet genere Nobilis, de domo & familia Roſæ, licet aliquam dignitatem, aut præbendam in Cracouien. Eccleſia non obtinêrit propter excellentiam ingenij & doctrinæ quibus pollebat poſtulatus ab Innocentio III. confirmatus ſufficitur. Cui naturæ prægnantis diues & fæcundus vterus præclarum ingenium cõtulerat quem iam benigno lumine aſtra inſpexerant, vt ſine externæ opis adminiculo nouum cõdendo corpus de Annalibus Polo-

no-

norum Hiſtoriæ, magnificos per ſeipſum literarum ſenſus expreſſerit, & literarum ſtudijs decus, & ornamenta, mores ingenuos, & normam rectè viuendi comparauerat. Diſciplinam pro Nobilitate, pro patria, pro parente, pro nutrice, adoptauerat.

Hic Magiſter Vincentius eodem anno per Henricum Gneſnenſem Archiepiſcopum ex Mandato Innocentij III. conſecratus eſt. Anno Domini 1215. Nobilem & illuſtrem Cracouienſem Eccleſiam Vincentius Epiſcopus ſui Pontificatus tempore amplius illuſtraturus, pro habendis quotidianis refectionibus vndecim Decimas manipulares & ſeptem pecuniarias in villis circumcirca Cichow oppidum ſitis ad menſam ſuam Epiſcopalem pertinentibus, deuotione perpetua cõtulit, & donauit. Ex quarum introitibus, in vino, luminaribus, cæteriſque ſuis neceſsitatibus procuratur Cracouien. Eccleſiæ & præ-

us Saulis Comitis de Konſkie genere Nobilis de domo Odrowąſz & natione Polonus Cantor Gneſnenſis Canonicus Cracouien. & Leſkonis Albi Cracouien. & Sendomirien. Ducis Cancellarius inter cæteros Duci & Capitulo dignior videbatur. Qui & propter literarum peritiam, & prudentiæ humanæ fulgorem Vincentio in Epiſcopatu ſuccederet. Verum dum in admittenda Vincentij ceſsione per ſummum Pontificem difficultas timeretur. Iwo aſſumpto ſibi in Comitem & Conſultorem Iackone de Opolienſi Prouincia, & villa Łanka Canonico Cracouien. Viro Verſato, & induſtrioſo, ad Honorium III. in vrbem ſe contulit, & tam Vincentij ceſsionem admitti, quam ſuam Nominationem confirmari, & in Cracouienſem Epiſcopum ſe promoueri, perſonam ſuam Vgolino Cardinali Epiſcopo Hoſtienſi propter familiaritatem præcipuam, quam inuicem in ſtudio Pariſi-

enſi

ensi contraxerant coram Papa, & Cardinalium Collegio altis efferente laudibus facilè obtinuit.

Sequitur in eodem Authore

ET Iwo quidem, ex Roma reuersus ab Henrico Gnesnen: Archiepiscopo in Episcopum Cracouiensem consecratus est. Vincentius verò in Andreouiense Monasterium vbi tunc sacra Cistercienſium Religio magnis Fratrum studijs colebatur se conferens, & habitum & Ordinem suscepit. Et ex bono optimus effectus, nudus Christū sequi, & in vitæ austeritate Deo suo militare cepit. Vndosum hoc quod inter nos & Deum peccatis inter latrantibus separat, præsentis vitæ salutem Pontificali exutus amictu & cura expeditius tranaturus. Cuius generosus Spiritus ad superna & cæleſtia summiq;

boni

boni verticem ſemper anhelans haud tolerare poterat, in terrenis prorſus educari, niſi ad cæleſtes radios in ſanctæ religionis auſteritate, mentis ſuæ aciem attentius dirigeret.

Idem Author.

ANno Domini 1223. Vincentius KADLVBCONIS olim Cracouien: Epiſcopus cum Annos quinque in Ordine Monaſterij Andreouien: religioſe exegiſſet, Octauâ die Menſis Martij (Aliter in libro Mortuorum Monaſterij Andreouienſis quarta Aprilis obitus eius commemoratur, Cui magis fidendum noſcitur) laborum ſuorum immarceſcibilem coronam à Chriſto propter quem omnia deſeruerat percepturus, carnis ergaſtulo ſolutus eſt, & in eodem Monaſterio in chori medio ſepultus eſt. Qui dum Epiſcopatum Cracouien: adhuc rexiſſet

ſet

set Cathedram viuacitate ingenij, quâ polebat, de rebus gestis patriæ diserto, politoque stylo (quæ incipit: Tres, tribus ex causis theatrales odere solennitates) edidit Chronicam, quam sic accurate, cogitateq; scripsit, vt ad priscorum laudem maximè accesserit, quos tantopere admirantur. Multa de exteris gestis, plura quam de proprijs perstringens per varia Historiarum quidquid concinnum & aptum Polonis fuit pulcherrimâ varietate intexuit. Quæ à multis Polonorũ celebratur & legitur, & ob raritatem tam domesticæ, quam peregrinæ Historiæ, & ob elegantiam scripti grauitate verborum lucens non vulgarium referta. Hic decem Præbendas in Kielceñ: Ecclesia fundasse & dotasse asseritur. Decimas quoque manipulares iuxta Cchow consistẽ: ab Ecclesia Parochiali in Brzeźie abstractas, Capitulo & Ecclesiæ Cracouieñ: pro administratione vini & olei, contulisse dicitur.

MATTHIAS MIECHOVIENSIS

De eodem, ad Annum Domini 1207.

MAgiſter VINCENTIVS KADLVBCONIS de Karwow vico propè Opatow, nobilis de domo Roſſæ, Præpoſitus Sãdomirienſis, propter ingenij excellentiam, per Capitulum Cracouienſe in Epiſcopum Cracouienſem electus eſt, quamuis in Eccleſia Cracouienſi nullam obtineret Præbendã, ab Innocentio III. confirmatus, & ab Henrico Archipræſule Gneſnen: conſecratus. Hic vndecim manipulares Decimas & ſeptem pecuniales in villis circa Oppidum Cchow ſitis ad menſam Epiſcopalem, vel quod alij aſtruunt ad Eccleſiam in Brzeźie pertinentes Eccleſiæ Cracouienſi perpetua donatione contulit. Ex quarum introitibus in vino, oleo luminaribus, cæteriſque neceſsitatibus

Ec-

Eccleſia Cracouien: & Prælati cum Canonicis eam frequentantibus, quotidianis diſtributionibus prouidentur. Nomina villarum Manipularium Decimarum ſunt hæc. Gnoynik, Gothprzydowa, Thymowa, Tworkowa, Iurkow, Viazd, Opatkowice, Luczſławice, Faſowſzowa, Konczyſka, & Zdania. Nomina verò pecunialium, Brzozowa, Olſzowa, Słona, Bieſznik, Polichta, Poſzna, Item de Caſimiria Cracouienſi vrbi vicina. Idem Vincentius Kadłubconis Epiſcopus Cracouienſis & habitum & Ordinem Religionis Ciſtercienſis in Monaſterio Andreouienſi profeſſus reſignato Epiſcopatu aſſumpſit. Ex bono factus optimus, nudus nudum Chriſtum ſecutus eſt, Anno Domini 1218. Et poſt quinque annos ergaſtulo carnis ſolutus in Domino quieuit, Octaua die Menſis Martij Anni Domini 1223. in Monaſterio Andreouienſi in medio chori ſepultus.

Hic dum Cathedram Cracouien: regeret. Chronicam Polonorum (quæ incipit: Tres tribus ex cauſis theatrales odere ſolennitates.) ſcripſit. Plura de exteris, quam Polonorum geſtis, nodoſè & inuolutè, in primis tribus libris perſtringens.

MARTINVS CROMERVS

In ſua Chronica ad Annum Domini 1206.

ANnus autem quo hæc acta ſunt, fuit poſt Chriſtum natum 1206. Inſequenti anno Fulco quoque ſiue Pełka Cracouienſis Epiſcopus, Palatini frater vita exceſsit: qui ſibi, & ſucceſſoribus ſuis prærogatiuam loci & ſuffragij ſecundum Archiepiſcopum in Gneſnenſi Prouincia, ab Innocentio III. Pontifice maximo impetrauit.

Suc-

Succeſsit autem ei Magiſter Vincentius, cognomẽto KADLVBCVS, Præpoſitus Sendomirien: gente Roſæus, vir doctus, vt tunc ferebant tempora, & pius: qui primus Polonorum, hiſtoriam gentis ſuæ conſcripſit, liberis collegij ſacri ſuffragijs creatus & expetitus, quamuis ipſe in eo collegio non eſſet. Perfecerat enim id collegium per Ioannem Archidiaconum, vt libera ſibi deinceps eſſet electio Epiſcopi. in quam ſe Principes peruerſo more etiam tunc ingerebant.

IDEM.

VINCENTIVS Cracouienſis Epiſcopus, cum Baſilicæ Cracouienſi, cuius ſupellex vniuerſa, tacto de cælo ærario conflagrarat, multa contuliſſet, decimasque nonnullas collegio eiuſdem Baſilicæ in diſtributiones quotidianas, & in lucernam

quæ perpetua in templo arderet, addixisset, Episcopatu se abdicauit, ne quicquam aduersante Principe, ac disuadente collegio sacerdotum: & in Andreouiensi Monasterio reliquos quinque vitæ annos Religiosè exegit, cum 10. annis Episcopus fuisset.

Ex Chronico Monast: S. Crvcis.

VIncentivs ipse fuit filius Kadłubkonis de Karwow. Et quia fuit homo literatissimus, mortuo Fulcone Episcopo Cracouien: Cum esset Præpositus S. Mariæ Sendomirien: per Capitu: Cracouien: in Episcopum postulatur & ab Innocentio Papa confirmatur, & per Henricum Archiepiscopum Gnesnen: consecratur, Anno Domini 1208. Tandem de licentia Honorij Papæ

pæ cessit Episcopatui & intrat religionem Cistercienſis Ordinis in Monasterio Andreouienſe vbi quinque annis in magna vixit abstinentia. Tandem Anno Domini 1223. moritur & in medio Chori Monasterij Andreouien: sepelitur. Hic scripsit stilo sublimi librum Cronic: de gestis Regni Poloniæ. Eius tempore Ærarium Ecclesiæ Cracouienſi fulmine percussum est & scrinium in quo Casulæ & Cappæ præciosiores erant accenduntur, & comburuntur. Hic Ecclesiam S. FLORIANI consecrauit.

ABRAHAMVS BZOVIVS

In Annalibus Ecclesiasticis ad Annum

1209

IN Polonia per id tempus VINCENTIVS, cognomento KADLVBKVS Cracouienſis Episcopus cum Basilicæ Cracouienſi, cuius

ius ſupellex vniuerſa, tacto de cælo ærario, conflagrarat, multa contuliſſet, decimasq; nonnullas Collegio eiuſdem Baſilicæ in diſtributiones quotidianas, in lucernã quæ perpetuo in templo arderet addixiſſet, Epiſcopatu ſe abdicauit nec quidquam aduerſante Principe, ac diſſuadente Collegio ſacerdotum, & in Monaſterio Andreouienſi reliquos quinq; vitæ annos religioſe exegit, cum decem annis Epiſcopatum geſsiſſet.

CHRISOSTOMVS HENRIQVEZ

S. Th. Magiſter Ord: Ciſtercienſis Hiſtoriographus, in Monologio Ordinis ſui.

QVarto Nonas Februarij. In Polonia B VINCENTIVS Epiſcopus Cracouienſis qui vt liberius Deo vocare poſſet, dignitate ſe Sponte abdicauit, & in

An-

Andreouienſi Cœnobio habitum Ciſtercienſem aſſumpſit, vbi admirandis virtutibus celebris feliciter obdormiuit in Domino. Hoc Cœnobium à quibuſdam Andreouienſe nuncupatur, ab alij verò Monaſterium de linea Morimundi.

D. SEGVINVS.

Libro 3. Virorum Illuſtrium Ordinis Ciſtercienſis.

VINCENTIVS cognomento KADLVBKVS natione Polonus, legitimis ſuffragijs Cracouienſis Epiſcopus electus, profuit Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Sexto, qui cum per decem annos Paſtoris munus obijſſet, coram omnibus in Canonicorum Capitulo congregatis, mitram, annulum, & ſandalia deponens Pontificatu ſe li-

berè abdicauit, & in Andreouiensi Cœnobio Ordinis Cistercienſis, regularem obſeruantiam elegit: vbi nonnulla doctiſsima exarauit opuſcula, de quibus in ſecundo libro ex parte mentionem fecimus. Obijt igitur anno 1229.

CHRISTOPHORVS KONTSKI

In Vitis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Eccleſiæ Cracouienſis.

XVIII. Epiſcopus, VINCENTIVS KADLVBKVS.

MVnere perfunctus bis-ſenis Præſulis annis,
Fit Monachus, charum deſeruitq; gregem.
Officium graue Paſtoris ratus. Arrigat aures,
Qui capit intrepida tanta pericla manu.
Conſcripſit Regum vitas & geſta ſuorum,
Hinc patria æternum nomen ab orbe feret.

Aſſum-

Assumptus 1208. Sedit annis 10. cessit Episcopatu 1218. Mortuus 1223. In Monasterio Andreouiensi sepultus.

CAPVT QVARTVM.

De Vita, moribus, probitate, atque pietate, Religiossimi Præsulis, VINCENTII KADLVBKONIS.

INter alia complura, digna approbatione & laude, hæc quoque duo Venerabile Capitulum Cracouiense habet. Libros Beneficiorum, non modò Ecclesiæ suæ authenticè conscriptos, & Regia manu, sigilloque communitos; sed totius etiam Diœcesis Cracouiensis, eruditissimi viri Ioannis Dlugossij, rerum Polonicarum scriptoris veridici, ac pro eo Nominati à Rege Cazimiro Iagellonide Archiepiscopi Leopoliensis, opera &

labore immenſo connotatos. Tum Cathalogum Epiſcoporum Eccleſiæ Cracouienſis, curâ diligẽti, & nullo adulationis fuco aſperſum: eo, quod, & in Capitulo viri generoſi, magnanimi, & nõ niſi è præcipua nobilitate, aut eruditione ſelecti cenſeantur; qui & minas, & preces, aut fauores, facilè vniuſcuiuſque contemnere poſſunt. Et vitas Epiſcoporum ſuorum, non niſi poſt obitum, benè ac prudenter recenſitas, albo Antiſtitum ſuorum inſcribere, conſuetudinem & legem antiquiùs habeant. Vndè Innocentiſsimi quoque Vincentij KADLVBKONIS, ſe & mundum Vincentis Pontificis, ac quaſi ad cælum ſuis ſucceſſoribus pontem facilè præſtruentis, deſumere voluimus.

Ex

Ex Cathalogo Episcoporum Cracouieñ.

FVlcone mortuo, Magister Vincentius KADLVBKONIS, natione Polonus de Villa Karwow propè Opatkow de domo & Familia Rosæ Præpositus Sandomirienſis, decimus octauus in numero per Electionem Canonicam ſuccedit, & Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septimo, per Innocentium Papam III. in Epiſcopum Cracouienſem confirmatur, & per Henricum Archiepiſcopum Gneſnenſem conſecratur. Et quamuis ad illa vſque tempora Principes & Reges Poloniæ, & ij præſertim qui apud Cracouiam principabantur pro ſuo more & beneplacito Epiſcopos Cracouienſes ſurrogabant: tamen pro ea vice Prælati, & Canonici Cracouienſes, de quorum numero Ia-

nusz Archidiaconus vnus erat, viri elegantes, & fortes Ecclesiæ Columnæ, huic abusioni & corruptelæ se viriliter apponentes, vnanimiter præfatum Magistrum Vincentium de Karwow in Episcopum Cracouiensem elegerunt, & electionem eius Innocentio III. præsentarunt qui præsentatum confirmauit, & per Henricum Archiepiscopum Gnesnen. mandauit consecrari confirmatum. Hic in Ecclesia Sanctæ MARIÆ Kielcen: suæ Diœcesis Decem præbendas asseritur fundasse & dotasse. Hic Vincentius vir doctus erat, miræ religionis, & deuotionis, qui gesta Regum, & Principum Poloniæ, singulari stylo conscribens in vnam Chronicam redegit, quæ à legentibus Vincentiana appellatur quem tanto lumine & tam benigno Astra respexerāt, vt sine externæ opis adminiculo nouum condendo corpus de Annalibus Polonorum Historiæ magnificos per seipsum litera-

terarum ſenſus expreſſerit. Sedit annis propè duodecim, Anno autem Duodecimo Pontificatus ſui, de Licentia ſpeciali Honorij Papæ, honori & oneri ſponte renuntiauit & Monaſterium Andreouienſe ingreſſus, Ordinem Ciſtercienſem profeſſus. Milleſimo Ducenteſimo, Decimo octauo vbi quinque annis ſub Regulari obſeruantia Deo militans moritur, Octaua Martij 1223. Et in Monaſterio prædicto Andreouienſi in chori medio ſepelitur. Hic Decimas Capitulo Cracouienſi, manipulares, & ad Eccleſiam de Brezie pertinentes abſtrahens, circa Cchow conſiſtentes ne valore Centum Marcarum pro Subminiſtranda cera, vino, oleo, & cæteris neceſsitatibus incorporauit, & adſcripſit: Statuens vt candela inextinguibilis nocte & interdiu ardeat in altari, reliquum Canonici in vſus ſuos conuertant. Huius temporibus ærarium Eccleſiæ Cracouienſis ful-

mine

mine percussum est, & Scrinium in quo Cassulæ erant accenditur & Cappæ pretiosiores & ornamenta comburuntur. Nobilis hic erat ex Patre Boguslao, & Matre Benigna de domo Rosæ. Hic specialem gerens ad Ordinem Cistercienſem deuotionem, Villas Patrimonij sui Czyrnikow, & Goyczow, Anno Domini 1212. in Colloquio & iudicijs publicis sub præsentia Henrici Gnesnensis Archiepiscopi Gedeonis Płocen: Oggeri Cruſuicen: Episcoporum, & Msczugij Ducis Pomeraniæ Pontificatus sui anno quarto Monasterio de Suleiow Gnesnen: Diœcesis; villas verò Niekisiałka & Karwow hæreditarias etiam & paternas Monasterio Koprzywnicensi Ordinis Cistercienſis liberalitate ingenua perpetuo contulit, & donauit, interdicēs nepotibus suis germanis filijs fratris sui Boguslai videlicet Boguslao & Sulislao earundem Villarum quas Monasterijs præfatis

ple-

pleno iure donauerat, ſub graui anathemate omnem impetionem & quam libet vendicationem hæreditatum prædictarum.

Scripſerunt etiam & priuati nonnulli, vitam Beati VINCENTII, fama miraculorum apud ſepulchrum eius geſtorum exſcitati: Sed quia ſingulorum textus recenſere, eſſet eandem cantilenam canere. Ideo omiſſis minoris notæ vitæ eius ſcriptoribus. Ioachimo Bielſki, Martino Bielſki & Mathia Vbiſzewſki diligenti eius miraculorum collectore: vnius inclytæ huius familiæ Ciſtercien: Profeſsi. Fr. Alberti Tarłouij Monaſterij Claræ tumbæ, alias Mogilenſis Monachi, ex Chronographis Poloniæ collectam, Diui KADLVBKONIS vitam, religioſumque eius animum contemplabimur. Eximij olim viri & Summi Theologi Andreæ Schonæi, Academiæ Cracouienſis Rectoris, licentia ſpeciali, Anno Salutis Inſtauratæ, 1614. in lucē editā. Cuius tenor eſt talis.

SEmper fuit operæ pretium in Ecclesia Dei (attestante id Doctore mellifluo S. Bernardo) vitas & gesta præclara Sanctorum commemorare; vt sint in speculum, exemplum, & quasi quoddam cõdimentum vitæ humanæ super terram. Per ipsorum enim sacra gesta & facta, exemplum vtile posteris datur, ædificatio fidelibus traditur & ars belli in ipsis Christi militibus demonstratur. Licet autem immensa, ac propè infinita Sanctorum ac Beatorum Dei eximiam spirantia pietatem, litterarum monumenta prodiere, ita vt sufficiãt ad quodcunq; genus vitæ piè traducendũ: nihilominus quia haud rarò euenire solet, vt quis exemplo sui sancti conterranei, cuius Patriam moresque nouit, magis quàm alterius, accendatur: id causæ est, quòd tales à nobis speciatim sunt tractandi & honorandi. Sanè si qua gens alia, nostra præ cæteris Polona, hoc habere videtur,

tur, de quo Deo Opt: Max: cuius solius est beneficium, meritò gratias agere possit ac debeat; quòd ex ea, tanquam ex illo equi Troianorum alueo, tot Sancti ac Beati Dei, ingenti multitudine processêre. Vt enim taceam S. Adalbertum, Stanislaum, Cazimirum, tum Hyacinthũ, Quinque fratres, Cantium, Simonem Lipnicium, Stanislaum Costcam, cæterosque plures Sanctos ac Beatos, qui iam olim sunt celebrati monumentis nobilissimorum ingeniorum, ita vt nulla possit eos delere obliuio: nostrum B. VINCENTIVM KADLVBKONEM, haud decebat in latebris delitescere, cuius vita tam extitit gloriosa ac omni pietate refertissima; vt in ea tanquam in patenti & spatioso prato, venustis odoriferisque floribus consito, diuersarum virtutum flores pulcherrimi, maximeq; odoriferi spectentur & appareant. Præ cæteris autem (non est enim præsentis instituti

plures recenſere) virtus humilitatis in hoc Beato inſtar ſplendidiſsimi ſyderis enituit; quippè qui in ſublimi ſede Epiſcopatus Cracouien: Metropoli totius Regni collocatus, ſpretis honorum titulis, monaſticam vitam eſt profeſſus: ſicque ex bono factus optimus, eligens abiectus eſſe in domo Dei magis, quàm habitare in palatijs Principum, nudus nudum Chriſtum ſecutus eſt. Habuit hoc iam olim inſignis Ciſtercienſium familia, vt ad illam tanquam ad tranquillum portum ſalutis æternæ, penè innumerabiles Chriſti fideles, ex omni ſtatu mundi confugerent; vt haud ſciam, an qui infructuoſum nobis obiectant otium, ſeſeque ſolos aliorum promouendæ ſaluti natos deſtinatoſque glorioſè prædicant, fructuoſiùs quid vnquam laudabiliuſque præſtiterint. Hinc ètenim eſt, quod tot Pontifices Infulis depoſitis, ſimplicem cum Dei famulis monachatum ducere gaude-

derent. Reges quoque ac Principes (quorum nonnullorum inferius Cathalogum subijciemus) reiecta gloriæ mundanæ pompa, quidã ex eis monachorũ cucullã, alij cõuersorum barbam, cæteri fratrum Laicorum statum eligerent. Horum igitur attractus odore virtutum, horum, inquam pauperum Christi militum, & hic Beatus imitator factus est egregius, se suaque omnia huic sacro Ordini resignando. Estne autem aut fuit multis sæculis in Regno hoc inclyto aliquis, cuius simile factum, cum huius Beati Viri potuerit comparari? qui non iniuria mihi videtur illorum simillimus fuisse, quos olim Christo dixisse legimus. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Sed quid illi nisi nauiculas & retia piscatoria relinquerunt? VINCENTIVS verò noster, tantos honores ac titulos, repudiandos potius esse duxit, quo liberius Christum sequi posset. Id quod ex

eius vita, quam breuiter tractandam aggredior, manifestius liquet. Vir hic dilectus Deo & hominibus in latifundio Karwow nobili familia de domo Rosarum oriundus, Equitis Poloni Boguchwalij & matris Bognæ filius fuit; qui ab eisdem parentibus auitæ & Christianæ religionis ac pietatis, summa cura & studio in timore Domini educatus, in ipsa iuuentute liberalibus disciplinis est traditus. In quibus ita mirũ in modũ profecit vt omnes coætaneos suos acri ingenio, & eloquentiæ studio (quo inter omnes illius æui Polonos maiorem in modum excelluit) superasse videretur. Tandem ætate maturiori, fontes Sacræ Theologiæ pleno postquam ore delibasset; omnium oculos in se conuertit: ad familiaritatemq; magnorum ætate sua virorum, præcipuè verò Fulkonis Episcopi Cracouiensis accersitur. Is namque per motus Beati Viri vitæ integritate, Diuinarum

huma-

humanarumque rerum peritia, consilij maturitate, agendique dexteritate, Præpositum Sendomirienſem eum instituit: vbi sanè inter reliquos eius Ecclesiæ Prælatos, Vincentius haud aliter atque stella matutina in medio nebulæ emicuit. Vnde fit Fulkone è viuis abeunte, per liberam solius Capituli Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis electionem, idem Vincentius ad Episcopatum Cracouiensem, nemine renitente, Anno Domini 1207. eligitur, ac per Innocentium III. Papam confirmatur: demum per Henricum Archiepiscopum Gnesnensem consecratur. Hic igitur in tanto dignitatis Pastoralis gradu constitutus officium sibi commissum strenuè aggressus, ab officio pietatis, & cultus diuini cura illud exorsus est. Etenim non contentus, quod plurimorum egenorum prouisor, debilium curator, pupillorum Patronus, viduarum & personarum afflictarum & oppressa-

rum

rum protector indefessus fuerit, quod ingenia fælicia adolescentum fouerit: plurimùm liberalitatis, plurimis Ecclesijs, tam ex bonis mensæ Episcopatus sui; quam (quod magis est) de proprio & hæreditario patrimonio præstitit. Ecclesiæ namque Kielcensi, protunc exiguos prouentus habenti, in honorem Beatissimæ Virginis MARIÆ fundatæ decem præbendas attribuit & donauit. De bonis verò paternis Cõuentui Andreouiensi, à Ioanne Episcopo Wratislauiense & eius fratre de Armis Gryphonum erecto & fundato, villas Czernikow, & Soyczow in præsentia Henrici Archiepiscopi Gnesnen: Gedeonis Plocensis, Ogieri Cruswicensis, Episcoporum in perpetuum donauit. Insuper Conuentui Coprzywnicensi duas villas itidem paternæ hæreditatis, Niekisiałkę & Karwow iure perenni dicauit: anathemate graui contra nepotes ex fratre suos; scilicet Bogu-

sla-

ſlaum & Suliſlaum, interpoſito, ne bona præfata Eccleſiæ collata, adimerent, tantæ autem authoritatis, dum adhuc Præpoſitum Sendomirienſem ageret, apud Leſconem Album Monarcham Poloniæ B. Vincentius eſt habitus, vt eidem cuſtodia & officium Oratoris, in reducenda ad Regnum Haliciæ B. Salomea filia eiuſdem Polonorum Monarchæ, delegaretur. Summa itaque cum laude, ſpatio decem annorum Eccleſiæ Cracouienſi præſidens, de eademque & Regno Poloniæ optimè meritus vitâ ſanctâ monaſtica præ opibus Epiſcopalibus electâ, impetratâ ab Honorio Summo Pontifice Romano licentiâ ſimul atque ſe Epiſcopatu Cracouienſi abdicat, ac Monaſterium Andreouienſe Ordinis Ciſtercienſis ingreditur: ſuſceptoque habitu ac probationis expleto anno, eandem Regulam profitetur. Vbi ſub Regulari diſciplina in maxima vitæ auſteritate, obedientia,

humilitate, ieiunijs, vigilijs, aſsiduis orationibus, quinquennio commorans; plurimis cœpit clarere virtutibus & miraculis. Vnum hic referre licet. Cùm quodam tempore fratres de more Vigilias Matutinas canerent, Vir Dei altæ orationi ac cæleſtium meditationi intentus, in ſua cella ſe continuit. Quod dum Abbas cum fratribus aduertiſſet; ſciſcitari cupiens, quid Beatus in cella concluſus ageret, rima per fores conſpicatus, Virum Dei immenſo circumfuſum lumine genibus flexum, & extra ſe quaſi raptum conſpexit: nihilque horum fratribus indicans, ex viſione hac, & cæteris donis Beato collatis, ſum, moperè lætabatur. Tum vir Dei ex illa meditatione ad ſe rediens, è cella egreſſus, Abbatem ſupplex precatur, vt neglecti diuini officij, ſibi veniam daret. Abbas verò vt potè quem res ipſa non latebat, culpam hanc facilè dimiſit & fratribus ne eidem in aliquo

mo-

molesti sint mandauit. Volens autem Præsul pius gratificari genti Polonæ, & egregia ipsius facta ab obliuione memoriæ vindicare, Chronicon Regni Poloniæ (quod nullus ante eum fecerat) alto contextum stylo, in modum Dialogi conscripsit: opus certè vtilissimum, quod his temporibus nuper est impressum. Tantis igitur ornatus virtutibus, & donis, ætate matura, pluribus laboribus in vinea Domini superatis, dierum bonorum & operum plenus Sacrosanctis Sacramentis summo cum desiderio ac deuotione susceptis, lætus animam puram in manus Creatoris sui reddidit. Anno à salutifero Virginis partu 1223. die 8 Mensis Martij sepultus in eodem Monasterio in choro templi ante Altare maius, cum in sculpto Epitaphio in hunc modum:

Hic iacet Illustris VINCENTIVS KADLVBKONIS de Villa Karwow, de Armis

Rosarum, Vir acris ingenij, Diuina & humana litteratura insignis, ex Præposito Sandomirienſi Anno Domini 1208. per Capitulum in Præsulem Cracouienſem electus, per Innocentium III. Papam confirmatus, & per Henricum Archiepiſcopum Gneſnen: conſecratus. Præsedit annis decem. Demum obtenta licentia ab Honorio Papa renunciando Epiſcopatui, Religionem Ciſtercienſis Ordinis in Monaſterio Andreouienſi profitetur, atque ibi ſub Regula in Obſeruantia Luſtro vno exacto, Chriſto Chriſti miles ſpiritum reddidit, & in medio chori corpus eius â fratribus terræ commendatur. Anno Domini 1223. 8. Martij.

CA-

CAPVT QVINTVM.

De Abbatibus Monasterij Andreouiensis, sub quibus & Ordo Cisterciensis in Polonia resloruit, & Sanctitas Diui Patris VINCENTII KADLVBKONIS, *Orbi Sarmatico innotuit.*

POstquam Orbi Christiano, sanctitas Diui Patris Bernardi Ordinis Cisterciensis institutoris, eiusq; sequacium innotuit, statim odor virtutum, & conuersationis illorum probatissimæ, ad nostras quoq; Aquilonares partes peruenit. Religiosissimusq; Antistes Gnesnensis, vti iam supra diximus, è Burgundia euocatos, (in bonis suis hæreditarijs Brzezinik dictis, pro illorum stabilitate, templo & Cænobio exstructo) in Poloniã nostram induxit, & ita Principibus

ipsis cõmendauit, vt breui tempore in vtraq; Polonia, tam Maiore quàm Minore, aliquot Monasteria possiderent.

Primus itaque Abbas Brzezinensis seu Minoris Morimundi (nam Andreouia oppidum, tunc temporis nondum exstabat, sed ab Abbate isto in fundo Brzezinensi designatum, primordia sua habere cœpit) fuit VIRRICVS GALLVS, qui volente Cazimiro Cracouiensi atque Sendomirienſi Duce, ad fundandum Ciricense Monasterium Fratres è suo Conuentu dedit, Anno 1185. Cuius Ætate Sulcouiense, etiam atque Vonchocense Monasterium erectum fuit. Quamuis Chrisostomus Henriquez Ordinis Cistercienſis Historiographus scribat, primum Abbatem Andreouiensem fuisse, Nicolaum quendam Burgundum. Sed is fuerat, senior Frater Sodalium in Poloniam ad recipiendam fundationem missorum, non Abbas, formalis, qua-

lis

lis fuerat Virricus ſtabilitate Religioſorum iam firmata, & clauſtro exſtructo.

Secundus Abbas fuerat THEODORICVS GALLVS, cuius tempore, Beatus Vincentius, Epiſcopatu reſignato, primus ex Polonis Sacrum Ciſtercienſem habitum ſumpſerat. Nam omnes tunc Fratres vel Gallicæ, vel Germanicæ nationis fuerant.

Tertius Abbas GARINVS GALLVS, ſub quo nullus adhuc Polonus in Religione iſta fuerat, præter ſupradictum Beatum Vincentium Monaſticam auſteritatem cunctis abhorrentibus.

Quartus Abbas Minoris Morimundi fuerat HVGO, itidem Gallus, ſed cuius ſub regimine multi iam Alemani fuere.

Quintus IOANNES, neſcitur cuius nationis; ſed qui iam Andreouienſem Abbatem ſe eſſe ſcribebat, impetrato Priuilegio pro ciuitate ſua Andreouienſi, à Boleſlao Pudico

Prin-

Principe Poloniæ, & Kunegunda consorte sua, fœmina sanctissima, quatenus incolæ eius vti possent iure Theutonico secundùm vsum & consuetudinem aliorum Oppidorum Poloniæ.

Sextus Abbas fuit cognomento DROGO.

Septimus WIARDVS, cuius fit mentio in Monasterio Andreouiensi quolibet anno 18. Decembris in libro mortuorum.

Octauus Abbas Andreouiensis GERALDVS THEVTO.

Nonus REINERVS cuius obitus memoria fit. 12. Kal. Iunij.

Decimus nomine FRANCO, qui in Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli obijt. Anno Salutis 1357. sepultus in Capitulo.

Vndecimus GVILELMVS, qui Priuilegium libertatis ratione possessionum, à Iudicibus, Palatinis, Castellanis, & quauis alia Iurisdictione, à Cazimiro Magno impetrauerat.

Duo-

Duodecimus GERALDVS, qui obijt Anno Domini, 1373. Maij die 7.

Decimus tertius ARNOLDVS natione GALLVS.

Decimus quartus VILHELMVS Germanus.

Decimus quintus, GERAMVS.

Decimus sextus, BERTRANDVS.

Decimus septimus CONRADVS, quem successores fundatorum huius Monasterij, hęredes de Michow violenter inuaserant, Monasteriumque spoliauerant. Sed à Vladislao Iagellone Regè pientissimo, cum suis complicibus fuerant puniti.

Decimus octauus Frater IACOBVS, qui multa bona monasterio fecit.

Decimus nonus ADALBERTVS POLONVS de Przylonk doctrinâ & probitate conspicuus, quamuis vltimus in ordine congregationis suæ.

Vigesimus Fr. PETRVS electus Anno 1422.

Vigesimus primus NIEWSTOMPIVS qui Concilio Basilienſi interfuit, & à Concilio vſum Mitræ impetrauit, vt pater ex Priuilegio, dato Basileæ 7. Idus April. 1442.

Vigesimus ſecundus NICOLAVS ODROWVNSCH, pro tempore Liber Beneficiorum à Ioanne Dlugoſsio Canonico Cracouienſi conſcriptus fuit. Et omnes Abbates. Ciſtercienſis Ordinis in Polonia contribuebant, pro eliberando Monaſterio Ciſtercienſi à debito contracto; hoc enim onus totus Ordo ſuſceperat. Præſedit hic Abbas annis quinquaginta, cum laude & vtilitate Cœnobij ſui, obijtque in bona ſenectute. 1496. Nonis Martij.

Vigesimus tertius fuit IACOBVS MICHOWSKI, de Armis Vulpium, eiuſdem domus Profeſſus, quia hactenus nullum extraneum

Ab-

Abbate Andreouiense Monasterium habuit. Quin imò è medio Fratrum assiduè Sczyricensi Monasterio Abbatem designabat tanquam ad Coloniam à se locatam gubernandam. Cumque Abbas iste prænominatus multa bona Monasterio Andreouiensi, in quo omni pietate institutus fuerat, feciſſet; & bona sua hereditaria eidem attribuiſſet; tandem Staniſlao Potocki Professo eiusdem Cœnobij Abbatiam Sedis Apostolicæ licentia resignauit. Ipse verò Suffraganeus Vilnensis factus, sub Sigismundo I. Rege Poloniæ, à Leone X. Pontificalia exercendi potestatem impetrauit.

Vigesimus quartus Abbas Andreouiensis STANISLAVS POTOCKI, fuit. Cuius tempore Liber Retaxationum initium habuit. Anno 1520.

Vigesimus quintus ADALBERTVS CLODAVIVS. vir bonus & religiosus, qui præfu-

it annis 30. multaque Priuilegia & Confirmationes à Sereniſsimis Regibus, Sigiſmundo Primo, & Sigiſmundo Auguſto impetrauit.

Vigeſimus ſextus IOANNES IANOWSKI, qui primo Abbas Sciricenſis fuerat, ſed liberâ electione Fratrum ad regimen Abbatiale Andreouiam vocatus, in locum ſuum de cõſuetudine antiqua Petrum Borowſki Priorem Andreouienſem, Abbatem Sciricienſem fecit.

Vigeſimus ſeptimus STĀNISLĀVS BIALOBRZESKI, opera fratris ſui Martini Białobrzeſki Abbatis Claræ tumbæ per Regiam Maieſtatem promotus, & hic vltimus iam fuit Abbas Andreouienſis, ab eius enim obitu Commendatarij cœperunt eſſe.

Primusque Commendarius fuit STĀNISLAVS RESCIVS Canonicus Varmienſis, & Decanus Varſouienſis, per Sereniſsimum Stephanum Regem, pro hac vice tantum

tùm datus. Vir præclaræ vitæ, & eximiæ doctrinæ, vt ex scriptis illius prælo vulgatis patet. Hic antea fuit amanuensis, & domesticus, Magni illius Cardinalis, Staniſlai Hosij: cumque illo interfuit, toti ferè Concilio Tridentino, quod annis octodecim durauit. Moriens tempore Iubilei Romæ 1600. Bibliothecam suam Clericis Societatis Iesu legauit, quam sibi Neapoli instructissimam comparauerat, Internuncij Regij personam ibi longo tempore agens, & manuscripta Hosij ac sua Academiæ Cracouien: consignauit.

Secundus Commendatarius Abbatiæ Andreouiensis fuit, BARTHOLOMÆVS POWSINSKI, per Summum Pontificem Clementem VIII. Sereniſsimo Regi Sigiſmundo III. commendatus. Qui itidem Internuntius Regius Neapoli mansit.

Tertius Commendatarius ADAMVS MĄKOWSKI, qui itidem Neapoli Nuncius

Regius mansit, & anno quidem non expleto in officio illo, legationem ad Regem Catholicum suscepit, & in Hispania in itinere mortuus est.

Qnartus Reuerendiss. REMIGIVS KONIECPOLSKI EPISCOPVS CHELMENSIS, qui ossa Beati Vincentij Kadlubconis ANNO VERBI INCARNATI 1633. subleuauit, & loco honoratiore, exstructo Mausolæo marmoreo publicâ authoritate reposuit. Cuius sacrum corpus per annos 410. in Choro Præsbyterij olim à Fratribus humatum, requieuit, magna cum opinione sanctitatis.

CAPVT SEXTVM.

De modo & processu Subleuationis ossium Serui Dei, VINCENTII KADLVBKONIS

MOtus itaque pietate & zelo feruenti erga Diuum Vincentium, eximius Antistes

tiſtes Remigius Koniecpolſki, Abbatiæ Andreouienſis perpetuus Adminiſtrator, petijt à Loci Ordinario vt moris eſt licentiam inſcripto, quatenus ſacros eius cineres, poſsit ſubleuare, quos cõtinuis miraculis corruſcare videbat. Et obtinuit, in hunc ferè ſenſum.

Illuſtriſsimo & Reuerendiſſ: Dño Remigio Koniecpolſki Dei Gratia Epiſcopo Chelmenſi, Abbatię Andreouienſis Adminiſtratori. Petrus Gembicki Decanus Crac. Cuſtos Gneſnen: Sede vacante Epiſcopatus Cracouienſis Adminiſtrator, &c. &c.

EXponi nobis fecit *Illuſtriſſima & Reuerendiſſima Dominatio veſtra, conſtituiſſe in animo, piæ memoriæ Reuerendiſſimi olim* VINCENTII KADLVBKONIS *Epiſcopi Crac. ante aliquot centena annorum in Domino defuncti, & in Monaſterio Andreouienſi ſepulti oſſa*

ex

ex sepulchro illius leuare, & in honestiorem locum deponere, modo ad præmissa Celsi: V. consensum nostrum præbeamus, Desiderio itaque & piæ intentioni Celsi: V. satisfacere volentes Authoritate Ordinaria quâ fungimur hac in parte Illustrissimæ Celsi: V. facultatem damus, memorati Reuerendissimi olim Vincentij Episcopi Cracouiensis sepulchrum aperiendi, & ossa illius leuandi, ac in honestiorem locum deponendi, ita tamen vt id priuatim, & sine solennitatibus circa leuationem ossium Beatificandorum fieri solitis, fiat, personæq; sæculares tum temporis indè excluduntur. In fidem maiorem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo communiri iussimus. Dat. Crac. die 21. Mensis Iunij A. Dñi Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Secundo.

Locus ✠ Sigilli.

Petrus Gembicki Decanus Crac. Administrator Episcopatus eiusdem. m. p.

Die

Die itaque 26. Aprilis Anni ſequentis, vti ſupra præmonuimus 1633. per Reuerendum virum P. Fridericum Szembek Societatis Ieſu Præsbyterum facta inquiſitio loci, in quo ſacrum pignus reconditum fuerat. Primoque penes parietem, oſſa ipſius perquiſita fuerunt, vbi Epithaphium in lapide ſecto ſcriptum illi erat, & effigies habitu Epiſcopali exſculpta. Deinde in tumulo, ante altare maius, in medio choro lapide ingenti clauſo: in quo eiuſmodi litteræ exaratæ conſpiciebantur. HIC IACET VINCENTIVS KADLVBEK EPISCOPVS CRACOVIENSIS MONACHVS ANDREOVIENSIS.

Igitur magna cum lætitia omnium, ſub Veſperum, lapide amoto, reſplenduit conditorium, inſtar arcæ ex lateribus, nullo interiecto cæmento exſtructum, & in eo Diuini viri corpus, magna ex parte integrum, ſuauiſsimum odorem ſpirans, ornatum Pallio

Archiepiſcopali, quo Epiſcopi Cracouienſes, amiſſo titulo & prærogatiua Archiepiſcopali, in præſentem vſque diem ſolennioribus feſtiuitatibus vtuntur. Terra itaque, cautè remota, & oſsibꝰ vino lotis, omnes reliquię vaſis vitreis impoſitæ, & in arca per eundem P. Szembek ſigillis obſignatę in præſentia multorum fide dignorum virorum in armariolo Sacrarij ad tempus repoſitæ ſunt; donec Illuſtriſ. & Reuerendiſ. Remigius Koniecpolſki, ex ſua Chelmenſi Diœceſi reuerteretur, & interim neceſſaria actui tranſlationis præpararentur. Et quamuis perilluſtris Dominus Adminiſtrator Epiſcopatus Cracouienſis voluerit ſubleuationem reliquiarum eximij huius ſancti priuatim peragi, & ſecularibus perſonis excluſis, mirabilis attamen Deus in Sanctis ſuis, qui ſerui ſui Vincentij ſolutum vinculis corporis ſpiritum, ſtola immortalitatis induit, & ad conſortium

peren-

perenne, diuinitatis fruendæ admisit, non est passus amplius sacros eius cineres ignobiles latere, sed etiam tacentibus Monachis, pluribus, ac continuis miraculis, tanquam voluntatis suæ appositis signaculis, & euidentissimis amoris pignoribus, quibus sanctitatem eius in ipsa subleuatione cinerum eius atteſtaretur, corruscare voluit, mentēq; pijs ac Religiosis viris indidit, qua permoti, etsi non rogati quodam euentu ad actum tam solennem conuenerunt, & Benedictum nomen Maiestatis Diuinæ, cum in alijs Sanctis, tum in illustratione & gloria Eximij Antistitis Diui Vincentij Kadłubconis, adorantes collaudauerunt.

CAPVT SEPTIMVM.

De Translatione Sacrorum Cinerum Eximij Serui Dei, VINCENTII KADLVBCONIS *in eum locum, qui nunc è marmore, eleganti opere & artificio elaboratus conspicitur, statuam Diui, ante Altare Crucifixi, decumbentem, spectandam exhibens.*

REbus itaque ad solennitatem festiuitatis præparatis, die 19. Aug. Anni eiusdem 1633. In Vigilia Sancti Patris Bernardi Patriarchæ huius, inclyti Ordinis Cistercienſis; sub cuius vexillo Seruus Dei Vincentius, muneri Pontificali renunciato, vitæ suæ residuum in maxima sanctitate exegit; sacra illius ossa, post decantatas Vesperas à Fratribus, ex Sacrario, vbi hactenus honorificè asseruabantur, ex illa arca, in qua vasis vitre-

vitreis impoſita, ſigillis communita fuerunt, per Illuſtriſsimum Antiſtitem Remigium à Koniecpole, ad plumbeam tumbam tranſpoſita, & in Mauſolæum ex marmore eleganter præparatum impoſita, ac ſigillis denuo communita, ferreisque laminis benè obfirmata. Præſentibus cum ipſo Illuſtriſsimo omnibus Patribus ac Fratribus eiuſdem Conuentus, quos ſingulos recenſere longum eſſet nimium: ſed in tabulis Monaſterij ſpecificè ſunt adnotati omnes. Similiter & extranei ſeu aduenæ ad hunc actum vltrò accurrentes. Quod ex inſtrumento quoque á Notarijs Publicis ob fidē & perpetuitatē actus confecto, facilè quiſque pernoſcet; quod hic appono, Epigraphe marmori inciſa prius adnotata.

✠ Hic ✠ Ostentvm Illvd Hvmilitatis Christianæ, Venerabilis Servvs Dei, Vincentivs Kadlvbkonis In Pace Qvieschit.

Qui in villa Karwow è Nobili Rosarum stirpe natus: primum Præpositus Sendomiriensis, deinde Cracouiensis Antistes; per Annos fermè XII. mira in Deum, diuosque pietate illustris: & munificentia in Ecclesias, Monasteriaque celebris: Annalium huius Regni Scriptor ex nostratibus primus omnium fuit. Et tandem monente & mouente Deo, Christum in contemptu sui continuo sub obedientiæ sanctæ iugo, imitari desiderans, dignitatem tantam (exemplo raro, & sæculis omnibus memorando) cum facultate Honorij III. Pontificis Maximi, sponte renuncians. Anno Domini 1218. Sacrum Cisterciensem Ordinem, in Monasterio hoc Andreouiensi, professus: post quinquennium sanctè & laudabiliter in statu Religiosò exactum, è stationè vitæ mortalis, tanquam miles bonus, victorijs sui ipsius, cæterisq; admirandis virtutibus clarus: ad Iesum Ducem

suum

ſuum, feliciter commigrauit. Anno Salutis 1223. die 8. Menſis Martij. Cuius pij Cineres, & veneranda oſſa, Remigij à Koniecpole, Chelmenſis Epiſcopi, Andreouienſisq; Abbatis, & Monachorum eiuſdem Monaſterij cura, poſt annos 410. è priore humili in medio chori ſepulchro, terræq; pulueribus, publicâ authoritate leuata, in loco iſto, honorifice ſunt condita. Anni 1633. Menſis Auguſti die 19.

CAPVT OCTAVVM.

De Actu, & fide Tranſlationis publica, per Inſtrumentum æternitati conſecrata.

In Nomine Domini, Amen.

PEr hoc præſens publicum Inſtrumentum omnibus euidenter pateat, & ſit notum.

Quo-

Quomodo Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Quarto. Indictione secunda S. D. N. Vrbani D. PP. VIII. Anno ipsius Pontificatus, die verò 20. Augusti D. Bernardo mellifluo Doctori & Ordinis Cistercienſis Patri Amantissima sacra, Fratribus Conuentus Andreouienſis èiusdem Sanctissimi Patris sui festiuitatem deuotè ac solenniter celebrantibus, inter alia eo ipso die exercitia & colloquia Spiritualia inter se conferentibus subijt in mentem subleuationis & Translationis Reliquiarum Venerabilis Patris Vincentij Kadłubconis Anno proximè elapso in Ecclesia ista actus celebris, cuius memoria vt posteritati extare possit, postulatum est nomine Conuentus à me tanquam Notario publico, qui præsens rei gestæ aderam, vt aliqua eius rei nota per me conficeretur. Sciat itaq; lector. præsentium in ipsis exordijs Fratrum Ordinis Cistercienſis hic in Poloniã aduenientibus vitam præfati Venerabilis

lis P. Vincentij incidisse, & ex Episcopatu Cracouiensi cui renunciauit Monasticam vitam professum in Monasterio Andreouiensi cum opinione sãctitatis vixisse, cuius rei celeberrimi quiq; rerum Polonicarum Scriptores latius testimonium in suis Chronicis siue Annalibus reliquerunt, vt pote Cromerus, Długossus, siue Longinus, Miechouita, & plerique alij. Cæterum annis ab obitu ipsius multis elapsis, cum ex aula Clementis VIII. Pont: Max: Rñdissimus Bartholomæus Powśiński Abbas olim Andreouiensis redijsset, vnde tanti viri sepulchrum demiratus dignum honestiori Mausolæo existimans proposuit & dixit, quam primum idem ex marmore sẽ velle construere. sed anno eodem morte præuentus vni ex Fratribus dicti Conuentus nomine Benedicto perficiendi operis ipsa occasio extitit. Is verò quoniam artem quam in sæculo didicerat, etiam in Monasterio licitè de consensu superioris cum per tempus à deuotione vacare liceret exer-

cuit; ex opere manuum suarum rem quidem humeris suis imparem, sed tamen Diuinâ vt appareret voluntate factam aduersus, cæpit Fratres, in primisq; Abbatem ipsum solicitare, vt Loci Ordinarium adire, ab illoq; facultatem subleuãdi & loco honestiori collocandi reliquias defuncti obtinere vellent, offerens se labore manuum suarum sumptus si qui extruendo sepulchro forent necessarij subiturum sine grauamine prouentuum Monasterij qui in hac temporum iniquitate conspiciuntur satis attenuati. Nec mora facultas à Loci Ordinario obtenta, & negotium Patribus certis societatis IESV ab eodem commissum, vt ad locum sepulchri descenderent, & factis faciendis circa similia iuxta ritum & morem Ecclesiæ Catholicæ fieri consuetis negotium idipsum perficerent, quod quidem eo qui sequitur modo gestum ?. Die 26 Aprilis Anni 1633. Patres Societatis IESV. Videlicet Reuerendus P. Fridericus Szembek superior ad S. Barbaram Crac: cum alijs in

præ-

præsentia Notarij Publici & aliorum vt infra vno & altero sepulchro magis vicino Epitaphio Defuncti perscrutato, cum nulla iudicia verisimilia apparerent, visum est lapidem cõtiguum qui erat quippe magnus valde ab ostio monumenti reuoluere quo sublato monumentum ipsum repertum est, instar Arcæ ex lateribus nullo interiecto cæmento extructum, in quo singulare indicium ipsissimum Vincentij corpus esse palliũ Episcopale quo Episcopi Cracouienses in diem hodiernam vtuntur, magna ex parte integer repertus. Terra itaq; quæ corpori defuncti adhærebat cautè remota reliquiæ corporis eius per nominatos Patres Societatis honorificentissimè subleuatæ vitreis amplioribus vasis, ac scrinio benè obscrato in Sacristiæ armario, tantisper donec locus sepulturæ honestiori pararetur repositæ sunt sigillis obsignatæ. Virum staturæ procerioris fuisse monstrabant pleraq; ossa oblonga, & caput a superiori mandibula ad verticem vno &

fermè dimidio palmo altius, reliquum corpus non in puluueres resolutum, sed instar massæ alicuius repertum, in prædictis ampullis repositum est. Ac subleuatione quidem hoc modò peracta, Translatio ipsa in aliud commodius tempus differenda videbatur, donec Abbas ipse Rndissimus Remigius Koniecpolski idemq; Episcopus Chełmensis, qui tunc in Ecclesia sua Chełmensi munus suum Episcopale obibat in Monasterium rediret, & interim necessaria eiusmodi actui & Translationi præpararentur. Interfuerunt autem Subleuationi vltra Patres Societatis ac Fratres Monasterij Andreouiensis cum suo Priore Martino Suleouiensi, etiam duo Priores eiusdem Ordinis vnus Claræ tumbæ Albertus Tarłouius, & alter Kopriuicensis Simon, Iacobus Chrostkouius I V. D. Canonicus & officialis Curelouiensis & in Małogoszcz Præpositus, Nicolaus Sydłouius Iemelnicensis præpositus in Nawárzyce Parochus, sacra Apostolica

Autho-

Authoritate publicus Notarius ad istum Actum specialiter vocatus & requisitus. Ioannes Zielistawski Plebanus in Cierno, & alij complures vicinarum Ecclesiarum Parochi ac Sacerdotes ac alij viri sæculares pij & graues.

Die itaq; 19. Augusti eiusdem Anni Vesperis de S. Bernardo cuius festum in diem sequentem incidebat decantatis, aderant prædicti Patres Societatis IESV, quibus negotium à Loci Ordinario erat commissum nec non Rndissimus ipse Abbas, idemq; inprimis Episcopus Chelmensis solenniter Pontificalibus indutus multo vicinarum Ecclesiarum & Diœcesium Clero & innumerabili vndiq; ex regno confluente populo comitatus, qui deprompto ex armario Sacristiæ scrinio & sigillis benè in præsentia vnius & alterius Notarij publici reuisis, Clero ac populo inspectāte ac Deum in sanctis suis benedicente sacras Reliquias cum suis vasis & Ampullis in aliud stanneum vt potè honorificentius scrinium deposue-

runt ac sigillis ipsius Rńdissimi Abbatis & Episcopi circumcirca obsignatum, in nouum elegantius monumentum tumbamq; marmoream, non iam in terra sed in pariete Ecclesiæ excisam imposuerunt, aduolutoq; lapide ad ostium monumenti ferro ac plumbo desuper firmiter serârũt, sermonem ad populum habente Prædicto Rńdo Patre Szembek celebritati actus illius seruientẽ, vitam viri strictè percurrentem, in quo singulare sanctitatis eius signum illud commemoratum est: quod cum senex ætate ingraueſcente hora Matutino cõsueta in Choro aliquoties non adesset, & quidam ex Fratribus obmurmurassent, sæpiusq; hac de re superiorem admonuissent qui quadam vice Fratribus Matutinum in Choro decantantibus ipse exiens ex Choro Vincentij Cubiculum adijt in quo eum orantem luce clarissimâ circumfusum prospiciens redijt in Chorum & assumens aliquos ex Fratribus vt secum irent orantemq; viderent, nec amplius sinistrè absenti-

am

am eius in choro interpretari vel scãdalizari velint, monuit. In eodem sermone commemoratum est quomodo Vir Dei ex sæculari sacerdote à Capitulo Ecclesiæ Cathedral: Cracouień: vnanimi omnium consensu cum ipse non esset Canonicus ad Episcopatum assumptus & vocatus est, & iam tunc probitatis & sanctitatis suæ fundebat odorem. Iam verò dum hæc scribimus à subleuatione seu Translatione Reliquiarum eius, annus integer elapsus est, in cuius decursu quanta indicia sanctitatis eius, quanta bona inuocantibus opem & ad tumulum eius currentibus concesserit Deus difficilè est dicere. Diarius quippè gestorum ad eius Monumentum à Fratribus diligenter conscribitur Qui hac de re meliùs posteritatem docebit. Illud solùm obiter Notandum hîc operæ pretium existimaui à tempore Translationis eius vsq; adhuc ne vnam quidem diem abysse in qua complures homines vel voti exsoluendi vel visitandi eius monumenti causâ ex remotissimis

mis

mis Regni huius partibus turmatim non veniãt, qui singuli Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramento refecti, plerique voti compotes Deum in sanctis suis laudantes domos suas redeunt, quorum excipiendis Confessionibus quandoq; decem & aliquando plures Sacerdotes vix sufficiunt. Sed nec illud prætereundum videtur prædictum Patrem Szembek in sermone quem ad populum habuit obiter inter alia dixisse, sciri non posse causas ob quas Diuinâ Maiestas aliquando seriùs aliquando citiùs quàm humano captui par videretur, Beatitudinem sanctorum suorum hominibus soleret reuelare, plerumq; tamen pro necessitate populorum iuxta arbitrium suum id concedere. Quàm verè id ab eò dictum fuerit præsens status rerum in patria nostra docuit. Vidimus enim & adhuc videmus magnas & graues ne dicam extremas necessitates nostras. Magna certè necessitas fuit Interregnum quod diuina bonitate præter omnem spem & expectationem euasimus.

At grauior illa irruentis Moschi sub tempus interregni impetus qui etiamsi propitiante Deo virtute noui Regis Vladislai elisus & retardatus sit, extremam tamen necessitatem nostram quis dubitet appellare, Turcæ ferocientis rabiem qui non millibus sed myriadibus militum cinctus cum exercitu instructo in persona sua ad excidium Regni istius, interim dum hæc scribimus dicitur aduertisse, & in finibus Regni à nostris expectatur, hostis dispar viribus nostræ gentis. Valdè credibile Diuinam maiestatem quæ sola scit de thesauris suis depromere, noua & vetera necessitatibus nostris præuisis nouum precatorem & patronium cum hac occasione in Regno hoc inclarescere voluisse, & in hanc vsque diem necessitatis nostræ sancti & amici sui beatitudinem quasi in occulto habuisse, ad cuius sepulchrum en hodie cum votis & gratiarum actionibus pro beneficiis per eum à Deo acceptis curritur. Acta sunt hæc in Ecclesia Monasterij Andreouiensis. Anno

die Indictione ac Pontificatu &c. quibus supra. Præsentibus vltra innumerabilem hominum multitudinem, intrà nominatis testibus & nobis duobus Publicis Notarijs ad hoc specialiter vocatis & requisitis.

Locus ✠ Signi
Notarij publici
Sancte Casimire
ora pro nobis.

Et quia ego Paulus Zyska S. Apostolica authoritate publicus Notarius præmissis omnibus interfui eaq́, ita fieri vidi & audiui ideo in fidem & euidentius testimonium præsens instrumentum publicum manu mea propria confeci & extradidi rogatus & requisitus. Manu propria.

Thomas Oborski Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Laodicensis Suffraganeus Canonicus & Sede vacante Episcopatus Cracouiensis Ducatusq́, Seuerienſis, Administrator omnibus & singulis quorum interest significamus & attestamur supra scriptum Rńdum Paulum Zyska esse publicum Sacra authoritate Apostoli-

ca

ca Notarium eiusq; scripturis & instrumentis publicis tàm in Iudicio quàm extra plenam semper fidem adhiberi. In quorum fidem &c. Datum Cracouiæ die 19. Nouembris Anno Domini 1642. Thomas Oborski Episcopus Laodicensis qui supra. Manu propria.

Lo ✠ cus
Sigilli.

Confirmata autem sic per scripturam authenticam Actus præfati fide, & solennitate, locum etiam in quo tot sæculis sacrum istud pignus conseruâbatur, tabulâ marmoreâ contexerunt, & in rei perpetuam memoriam eiusmodi superscriptionem apposuerunt.

HIC

QVONDAM

VIR DEI D. VINCENTIVS KADŁVBKONIS

EX

EPISCOPO CRAC: MONACHVS ANDREOV.

FACTVS.

PER SECVLA QVATVOR, ET DVO LVSTRA

QVIEVIT.

CVIVS PII CINERES ET VENERANDA OSSA

EX HVMILI HOC LOCO, AD MAVSOLÆVM MARMOREVM

CVRA FRATRVM

SVNT TRANSLATA. IBIQVE HONORIFICE CONDITA.

ANNO MILLESIMO SEXCENTESIMO TRIGESIMO TERTIO.
MEN: AVG: DIE XIX.

CA-

CAPVT NONVM.

De Miraculis, ante Subleuationem Cinerum Diuini Viri VINCENTII KADLVBKONIS *ad Sacrum eius bustum factis.*

QVamuis non indigeant humanis encomijs qui Christi præsentia in cælis fruuntur, nec virtus eorum aliquod testimonium à nobis desideret quæ aulæ cæleſtis gloria excepta & circumfusa humana præconia & laudes superauit: attamen Christus cum per fideles seruos suos diuersa mortalibus beneficia tribuere soleat, cursum naturæ ordinarium excedentia, ea propter laudare Dominum in sanctis eius, piùm opus est. patrataque ab eis miracula, ad posteritatis notitiam transmittere semper in Ecclesia Dei piè fuit obseruatum. Etsi igitur Kadlub-

kus Beatiſsimus, cuius vitam commemorare inſtituimus, diuerſa Chariſmata & dona Spiritus S. poſsideret, multifariasque virtutes, vitæ ſanctitatem, mirabilem abſtinentiam, propè incredibiles vigilias, precandi indefeſſam aſsiduitatem, corporis duriſsimas caſtigationes & afflictiones, inſigniaque demum miracula dum in terris adhuc eſſet Deus ad illius intercesſionem operaretur atque exerceret: nihil horum tamen ad nos peruenit, partim ob temporis antiquitatem; partim ob deuaſtationem à Tartaris Cœnobij Andreouienſis; partim verò ob incuriam genti noſtræ innatam, qui externa ſolum modo miramur & propria negligimus: partim denique ob ſimplicitatem & humilem ſui æſtimationem Monachorum inibi degentium, qui ſanctitatis famam non quærunt, contenti ſecundùm Chriſti doctrinam & inſtitutum Ordinis ſui honeſtè vixiſſe. Memores dicti

illi-

illius Saluatoris noſtri, quod qui minimum ſe hic reputauerit maior vocabitur in cælis. Populus attamen innumera illi diuinitùs gratiarum dona conceſſa & ex tot operum miraculis ab obitu eius hucuſque non ceſſantium nunquam ad deprehendum ſepulchrum eius accurrere, & in neceſsitatibus aut periculis vota concipere deſiſtebat. Poſteà quam & Deus ipſe viuorum ac mortuorum Dominus, non eſt paſſus ſacros eius cineres ignobiles latere, ſed plurimis ac continuis miraculis, tanquam voluntatis ſuæ appoſitis ſignaculis, & euidentiſsimis amoris pignoribus, quibus ſanctitatem eius atteſtaretur, coruſcare voluit. Semper igitur parietes pleni fuêre appenſorum inſignium perennis gratitudinis, effigiatorum è cera teſtimoniorum: ſemper altare maius, ante quod depoſitus fuerat reſplendebat diuerſorum metallorum tabellis multis ſiquidem mortuis vi-

is vitam, cæcis visum, claudis gressum, & variis languoribus oppressis ac in maximis necessitatibus constitutis, sanitatem, leuamen, adiutorium, consolationesque Diuus iste impetrabat. Quorum nonnulla ex Monachorum notationibus, qui proximè vixerant discere possemus, consultius attamen ea reticere, quam res dubias proferre putauimus. Non enim ille eget incertis testimonijs priscorum, quem Dominus hodie dum, præclaris operibus continenter illustret. Sed recentioris tamen memoriæ aliqua, & ante subleuationem sacrorum cinerum eius proximè facta adnotabimus libenter.

Anno itaque Instauratæ Salutis 1624. Nobilis Adolescens Balduinus Ossolinius ardentibus exagitatus febribus, iam iam vitam exspirans, per Venerabilem Presbyterum Nicolaum Mrozek, Serui Dei Vincentij Kadłubkonis patrocinio ac tutelæ commẽdatus,

tus, voto ad ſacrum eius ſepulchrum ſiſtendi iuuenem, cum fiducia magna concepto, protinùs meliuſculè habere cæpit, & intra paucos dies, qui iam moribundus videbatur, optimè conualuit: miſſaque per eundem Sacerdotem tabella argentea die 27. Iulij ad tumulum Sancti, beneficium ſe accepiſſe teſtatus eſt. Quod & Pater eius, Illuſtriſsimus nunc Palatinus Sendomirienſis, diligentiſsimusque Polonicarum antiquitatum indagator, paulò ante Anno eodem fecerat, cum periculoſiſsimè decumbens, eiuſdem Diui precibus, à limine Fati reuocatus fuiſſet. Exſtatu rei teſtimonium in lamina argentea deſcriptum, perque eundem ſupra nominatum Nicolaum Mrozek, buſto ſacro appenſum.

Qui etiam præfatus Mrozek, Præpoſitus Krzciecanſis, vxorem Nobilis cuiuſdam viri, Domini Mleczko, Sophiam vocatam, in extremis vitæ poſitam, & iam perceptis Catho-

lico ritu Sacramentis, ferè agonizantem, Diuini viri Kadłubkonis Episcopi precibus & patrocinio commendauit, & iureiurando cum omnium astantium maxima admiratione, extemplò conualuisse recognouit, die 28. Augusti Aræ Christianæ 1630. Et ad Diui sepulchrum, cum illa ipsa, benè sana & valente veniens, post peractas gratiarum actiones Deo, & Seruo eius Eximio Vincentio Kadłubkoni, publicè affirmauit. Quod quotiescunque huius Sancti auxilium, siue in proprijs necessitatibus, siue indiuersorum ægrotantium periculis postulauerit, semper à Deo Patre misericordiarum exauditus, efficacissimas consolationes & desideria exoptata obtinuerit.

Sed & Nobilis quædam matrona (Anna Oraczewska de Kalina) non minùs beneficium Sancti huius, se agnouisse apud sepulchrum eius testata est. Cumque manuum

de-

debilitatem, ex diuturnitate morbi sentiret, nec officio suo fungi vllatenus valeret, ad Diui opem confugit; factoque voto visitandi sepulchrum eius, miraculosè statim die 20. Ianuarij, Anno 1630. conualuit.

Nec est quod omittam, puerum rustici cuiusdam ex villa Chorzewy, annorum circiter octo, in cognomine fluuio Nidka submersum, & die sequenti ad templum Monasterij Andreouiensis, à mæsto parente allatum, reuixisse miraculosè in oculis omnium, & qui nunc viuunt Monachorum nonnullorum Cœnobij prædicti, Anno 1593. vt primùm ante Crucifixi imaginem in medio templo Diuum ingeminando Vincentium, cadauer exanimè repositum. Solebat enim antiqua consuetudine plebs circumuicina, in suis necessitatibus, ad hunc Sanctum recurrere, priusquam adhuc sua ossa subleuata fuissent.

Vnde & molitoris cuiuſdam vxor, Agnes dicta, de villa Podlenze, propè Pinczouiam, per octo continuas ſeptimanas, morbis diuerſis, ſed phrẹneſi prẹcipuè, ex malignitate febris exagitata, per quendam ſeniculum, panem oſtiatim emendicantem, Diui Vincentij precibus commendata, iuſſaque adire buſtum eius ſacrum cum deuotione, illicò ſanitatem recepit, & paucos intra dies non modò ſana & lætè, ſed miraculoſè etiam robuſta & valida, cum marito ſuo, pedes ad Diui Sepulchrum venit, peccata expiauit, & glorificans Deum in Sanctis eius domum ſuam abijt. Anno 1633. die Ianuarij 20.

Similiter & Honeſta Agnes Pilchowa, de villa Slupia, die Febr: 7. anno eodem, duos paruulos filios ſuos, morbo epileptico laborantes, ad Diui ſepulchrum ſiſtit, ſanitatem eis impetrat; & beneficij accepti memor quotannis Monaſterium Andreouienſe, ſacros

crosque Serui Dei cineres, vna cum liberis inuisit.

Eodem quoque anno 1633. die 18. Febr. Nobilis Thomas Brzeźniawski è famulitio Reuerendissimi tunc Remigij Koniecpolski Episcopi Chełmensis, & Abbatiæ Andreouiensis Administratoris grauissimo dentiũ dolore exagitatus, ad opem Serui Dei confugit, ac sacrum Missæ sacrificium pro peccatis suis fieri procurauit, statimque intra Missæ celebrationem cruciatu doloris liberatus, ad rei memoriam, & gratitudinis perpetuum monumentum, seriem facti laminæ argenteæ inscribi iussit, & ad sepulchrum Diui appendit.

CAPVT DECIMVM.

De Miraculis, sub ipsum tempus subleuationis Cinerum Diui Vincentij Kadlubkonis, factis.

ETsi passim nobis diuinâ bonitas Sanctorum confert patrocinia quos pro nostris culpis interceſſores implorare non dubitemus, diuersisque Prouincijs, diuersos largitus sit Tutelares generatim & cõmuniter honorandos attamen particularibus quoque locis, speciales quosdam attribuit Patronos ac defensores, specialiter & propensius amplectendos à fidelibus, & exorandos è quibus Andreouiensibus quoque & vicinjæ vniuersæ Seruum suum Vincentium Kadlubkonem, Præsidem adhibuit dilues in misericordia Dominus. Cuius suffragijs,

gijs, vt plebs vniuersa, ita & Monasticæ vitæ cultores innituntur, qui pro Regum incolumitate, & totius Regni stabilitate, atque eorum, qui curis Regni distinentur conseruatione, Deum omnipotentem deprecantur. Ad comprobandum igitur quanti meriti, quantæque sanctitatis inclytus hic Confessor sit, noluit pius Pater cælestis occultum manere, quod apud illum non latebat, sed fieret hominibus quoque exploratum, quanta gloria ille polleat in cælis, ad cuius suffragium tot & tanta miracula, nostris adspectibus sint expositavult fieri in terris. Post horas itaq; Vesperarum á Monachis decantatas, vt ossa Serui Dei fuerunt subleuata (quod accidit die 19. Augusti Anno Domini 1633.) Sacerdotesque illi, qui ad hunc actum solennitatis fueruut ab extra aduocati, ad sua diuersoria in oppidum abijssent honestus vir Matthæus Gozdowski domi suæ decumbens, audito à

So-

Sodalibus Franciſcanis de Obſeruantia, ſublatos eſſe certis cerimonijs ſacros cineres Diuini viri, forèque craſtina luce deuotionem ſolennem, Venerationis illius causâ, quaſi è ſomno aliquo dulci, à diuturna ægrotatione euigilans, ſtatim verbis conceptis votum emiſit, ſe velle pedes ire ad deuotionem illam, qualis qualis valetudo tunc acciderit & toto corde ſperabat eius pia interceſsione ſe die craſtino ſaluum & incolumem futurum. Res mira, in qua Numinis fauorem agnoſcas, vix verba finiuit, ſtatim febris illa, quæ eum diuturno tempore quatiebat, doloreſque capitis inſoliti quos miſer diu noctuque aſsiduo perpetiebatur ceſſauêre. Et ille in pedes erectus, facta gratiarum actione Deo Præpotenti, cibum ad reficiendas vires alacriter ſumpſit, dieque ſequenti, prædictam abijt, grauedinem quãdam in capite velut à multo ſomno ſenſit, ſed

vbi

vbi templum intrauit, & Diui ſepulchrum adſpexit, ſtatim omni dolore, grauedine, ac debilitate liberatus fuit. Quapropter gratijs immortalibus pro tanto beneficio redditis, mox filium ſuum Ioannem phtiſi intereà temporis laborantẽ aduocare iuſsit & eidem benignitati Diuinæ, atque tutelæ S. Vincentij commendauit. Qui mox accurens, ſimiliter eius ope, vt & pater ſuus, incolumitati redditus, toties deinceps ſacrum tumulum veneratus eſt. Creſcentibus ſiquidem in dies miraculis ibi in tantum per vniuerſam Poloniam nomen Diui Vincentij inclaruit, vt populum cõcurrentem Eccleſia capere non valeat, Monachique nunc de dilatando choro templi cogitent. Etenim ſtatim á ſubleuatione oſsium illius quocunq; genère morbi vexati tenebantur, celerem eius ſuffragijs reportabant ſalutem. Nec enim Chriſtus Dominus lucernam ſuam ſub modio diutiùs

latere passus est, sed magnalia Dei, per vicos villas, & oppida, vox publica personabat. Morbus & tempestas, fames & annonæ caritas, grando & sterilitas, insolens miles, & noxia vis procellarũ, ab hac regione emigrasse videntur, quæ antea sæpius solum Andreouiense damnosa infusione populabantur.

CAPVT VNDECIMVM.

De Febricantibus, per merita Serui Dei sanatis.

PRomulgatâ famâ subleuationis Lipsanorum Diui Vincentij, populus ad sepulchrum illius, turmatim cæpit in suis necessitatibus confluere: alij Dei gratiam adipisci, alij contagia euadere peroptantes. Atque ita quotidianis horis vel momentis Christi gloriâ per eum, de sanitatis beneficijs splen-

splendescente, reuertebantur suo potiti optatæ salutis desiderio. Surdis auditum, cæcis visum, mutis loquēdi officiū, claudis gressū, paralyticis curationem membrorum; denique omnibus omnia, per eius intercessionem Pater misericors largiebatur. Sed & hodie ad locum sepulturæ eius diuersa fiunt, eaque creberrima, miracula, operante Iesu Christo Dei Filio, quorum nonnulla in Febricantibus sanatis exhibita, pro captu virium, vt à Monachis conscripta habentur, in laudem & gloriam Præpotentis Dei, recensere instituimus.

Anno igitur 1633. Honestus Ioannes Kardasz ciuis Andreouiensis, in opinatò febri maligna & Peripleumonia correptus, omniumque membrorum dolorem ac debilitatem sentiens, presbyterum aduocari rogauit, & exemologesi sacra præmunitus quid de se vniuersi Imperator statueret paratus ex-

pectare voluit. Sed quia nocturno tẽpore tarde Sacerdos veniebat, & ille angustijs morbi vndiq; oppressus certam sibi imminere iam vitæ metam videbat ad Diui Vincentij auxilium confugere decreuit, illoque suffragatore Numen Diuinum placare. Quem vt pio affectu ingeminauit confestim ad se venientem luce ingenti circumfusum vidit habitu quidem Pontificio, sed quem desuper alba toga Monachalis contegebat. His verbis se consolantem. Ne dubites fili, mox conualescès. Et hoc dicto disparuit. Æger verò, visione tam læta & iucunda recreatus, derepẽte sanum se & incolumem sensit. Primoque mane ad sacrum eius tumulum veniens Monachis visionem illam narrauit, Sacrumq; de SS. Trinitate fieri rogauit; & Mnemosynon agnitæ beneficentiæ, melioris metalli tabellam, Diui Confessoris tumulo appendit. 17. Augusti.

Anno

Anno *1634*. Nobilis Alexandra Krzencka de Gozno, febri maligna laborans, Diui Vincentij sepulchrum visitaturam se promisit & è morbo tam periculoso eius interces-sione euasit. Quapropter Gratiarum actionibus redditis, gratitudinis monumentum, tabula argentea ad tumulum eius sacrum appensa, supplex reliquit 10. Septembris.

Anno *1633*. Frater Benedictus Profes-sus Conuentus Andreouiensis more Religionis Conuersus dictus, febri ardentissima capitisque doloribus maximis tota nocte laborans ad Diuum Patronum suum Vincentium Kadlubkonem primo mane confugit, & Sacro Missæ officio audito, gustauit de vinò illo quo Sancti ossa abluta fuêre: sensitq; quasi manu leuari de toto corpore suo, præcipuè verò de capite grauedinem quandam, & super induci refrigerium suaue & sanitatem. Hic Andreouiæ in oppido natus,

cum puer adhuc Scholas frequentaret, sæpe-sæpius duos Religionis Cistercienſis Monachos per ſomnium ſibi comparere videbat (vbi ipſe credit, Beatum Vincentium & Beatum Nicolaum, primum Superiorem conuentus huius Andreouienſis) perſuadentes ſibi continuò vt Religionem iſtam ingrederetur. Euigilans puer, referebat ſomnium aliquoties matri, quæ non modo diſſuadebat, ſed & hortabatur etiam filium; melius inquiens fieri Sacerdotem, quam Mechanicum aliquem agerè. Spreuit ille, vti puer monita Matris & Sanctorum iteratas per ſomnium viſiones. Sed paulò adultior factus, Menſatorumque artificio deditus, fit breui lignifaber egregius. Stimulante attamen conſcientiæ aſsiduâ ſinereſi, ingreditur Ordinem Ciſtercienſem, Claræ tumbæ, propè Cracouiam & fit nouitius Conuerſus. Vbi cum toto probationis anno iuuaret in laboribus

ar-

artifices quosdam Germanos in Monasterio illo Sculptro nescio quid elaborantes non modo artem ab eis ingenij sagacitate percepit, sed & Magister illorum breui factus est. Tandem die professionis aduenientę, habitum depositit & licentiam abeundi à superiore petijt cogitans animo se posse commodius in sæculo viuere quam in Monasterio, præcipuè callens iam artem & lignariam & sculptoriam. Dimissus itaque, redijt Andreouiam, quæ patria sibi erat: cæpitque cogitare de statu vitæ, & arte, in quali commodo loco exercenda. Cum interim dormienti comparent per somnium duo illi Religiosi Cistercienses, quos antea, sæpius videre solebat, & inter se ratiocinantes quęrunt vbi nam sit ille homo. Tum vnus ex eis dixit pollice eum monstrando, ecce est habitu sæculari. Cui respondens alter. Verè factus est filius diaboli. Quo audito, consternatus ille, euigilat

gilat è ſomno, & è lecto ſe proripiens neminem quidem videt, ſed timore ingenti percellitur, ruminans intra ſe diligenter, cur diaboli filius fuerit appellatus. Quapropter recollecto animo, genibusque flexis votum ſeriò concipit, & vt primum illuxiſſet, aditurum ſe Monaſterium & petiturum ingreſſum religionis animo ſincero ſpondet. Interea recitatis precibus, quas memoriâ tenebat, iterum ſe ad quietem componit; & vt primùm in dulcem prolabitur ſomnum, ecce turmatim Spiritus maligni adſunt, & cur votum religionis fecerit minaciter increpant, niſique redire ad ſæculum, voluerit, varijs modis nocere promittunt. Addunt & blanditias varias, proſperitatemque in omnibus pollicentur. Perterritus ille viſione tam horrida & conſternatus exanguis fere totus ſe ad preces prouoluit & Domino Deo commendat, propoſitumque ſuum ſeruiendi in

Reli-

Religione amplius non mutaturum se promittit; atque ita in oratione vsque ad diluculum perseuerat. Et sole orto, recta cum sua intentione ad Monasterium pergit: vbi hominem sibi benè antea cognitum ad portam claustri reperit, qui diligenti perquisitione sciscitatur à iuuene, quid nam hîc velit, & & cur adeo tempestiuè ad portam Monasterij venerit. Respondet ille vt sacræ huic Congregationi Monachorum adnumerari valeam. Cui bonus ille vir, cæpit multis rationibus, ne id faceret dissuadere faustos successus lætosque dies atque fortunam ingentem famamque ex arte quam callebat promittens. Cui hic nihil regerens, cogitãuit intra se ipsum esse oratorem illorum Spirituum malignorum, qui idem fere per somnium illudentes ei, suis persuasionibus adferebant. Interim prodeunte è camera quodam ex Conuersis Fratribus, de Superiore serio quærit

graui in negotio quodam volens eum alloqui. Conuersus respondit, Superiorem in templo nunc esse, & forsan ad altare sacra facientem. Intrant igitur templum vterque & post factam, adorationem Sanctissimi Sacramenti, videt secularis iste sepulchrum Diui Vincentij ante altare maius lapide vetusto coopertum & quærit à Fratre illo Conuerso quod nam esset monumentum illud & cui erectum? Respondet Conuersus, esse monumentum Episcopi Cracouiensis qui resignato Pontificatu, Monachum agebat, & hic in Religione mortuus pro sancto habetur. Tũ ille intra se, Si Episcopus Cracouiensis tantarum possessionum ac redituum Dominus, relictis diuitijs & dignitate se pauperem Monachum fecit, cur non & ego me, qui vilis conditionis, & pauper sum? Atque ita factus Monachus & Professus sepulchrum Diui Vincentij tanto in honore semper habuit, vt

nusquam illud pedibus conculcare ausus fuerit quamuis omnes alij Fratres eo indiscriminatim incederent, ad altare manus accedentes. Semper siquidem cogitabat intra se illum fuisse & non alium, qui sibi toties per somnium apparuisset, & ad ingressum religionis excitasset. Igitur exacto decennio in Religione, cæpit cogitare die quadam zelo ingenti accensus, quomodo res ista honorifica toti Ordini Cistercienſi foret, si huius Sancti ossa, per aliquem virum in dignitate Ecclesiastica conspicuum, & amatorem Monasticæ vitæ fuissent subleuata, & publicæ veneration exposita. Et ecce intra semetipsum quasi responsum quoddam sensit. Cur non tua metipsius operâ. Cohorruit itaque eiusmodi responso in animo suo enato. Et quis ego sum, reflexione sui facta, qui ista attentare, audeam mente agitare cæpit. Cui Genius aut Numen quoddam intra cogitationes

mentis imperans. Aude modo & age, perficies. Prouolutus igitur in terram Deo cogitatum negotium commendauit qui Sanctorum suorum quando vult & per quem vult gloriam in terris reuelat; sed & quibus per eorum merita misereri vult, ibi nomen eorum illustrat, & ad sepulchra illorum aut reliquias pro suo beneplacito virtutes operatur. Ex eo igitur tempore D. Vincentium in Patronum sibi assumpsit, & vt patefaceret dignitatem quam in cælo habet anima eius, ossa eius de terra leuari procurauit Fratribus ad id sua simplicitate persuadente & sumptu de labore Manuum suarum Domino Deo suppeditante. Qui nihil habenti & paupertatem professo, eam mentem cælitùs indidit, vt nullo magistro vsus, organa præstantissimo artificio conficeret, eaque Superioris permissu venderet; atque inde sumptus ad actum subleuationis spectantes sufficienter pro-

procuraret, Mausolæum Diuo suo Patrono marmoreum extrueret, Altare Christi Crucifixi sumptuosissimum & organum artificiosissimum in templo sua manu factum erigeret, atque nunc demum sphæras diuersimodas, Astrolabia globos, quadratos quadrantes, Horologia variaque tum Astrologica tum Geometrica instrumenta vsui Fratrum & ornamento Bibliothecæ Monasterij conficeret. Hic itaque, vti diximus febri ardenti & Optalmiâ grauiter afflictus, ad sui Patroni opem confugiens miraculosè conualuit vino de ablutis reliquijs eius gustato. Anno 1633.

Anno *1637*. Generosus Zdislaus Zamoiski de Terra Leopolienſi, cum Sophia de Brzeźie Lanckoronska vxore sua, venientes Andreouiam ad sepulchrum Serui Dei Vincentij Kadłubkonis, retulerunt vt visitata Diua Claromontana, Czenstochouiam redi-

rent per oppidum Chencinense, ibiqne mæsti de infirmitate filiæ suæ Marianæ, quæ annos nata sex febribus ex itinere ardentibus laborabat, remedia modo quærerent à deuota virgine Elizabetha Grabowska Tertij Ordinis S. Francisci. Quæ continuò fore sanam dixit si magna cum pietate & fiducia eam ad sepulchrum Diui Vincentij sistere vellent. Fecimus, inquiunt, vt illa nobis suasit, & filiam nostram Diuo supplices præsentauimus incolumem. Ac Deo omnipotenti pro collatis beneficij diuersis quibusuis sed & pro restituta nobis filia, huius præsentis miraculi testimonium in scripto relinquimus. Datum in Conuentu Andreouiensi 1637. 4. Septembris. Qua scriptura Monachi recepta solennes laudes offerunt Deo & sancto Patrono.

Anno 1640. Nobilis Virgo Heduigis Łodzinska de Przyłęczek annorum duodecim

cim febri malignâ per integram ſeptimanam aduſtâ, cum nullis medicamentis iuuari poſſet, à pia matre (quæ paulò ante maiorem natu filiam Annam cæcitate mulctatam Diui Vincentij interceſsione ſanitati reſtitutam vidit) ad ſerui Dei ſepulchrum voto promiſſa protinùs ardores internos in corpore ſuo reſidere ſenſit & die ſequenti benè valens ac ſana Andreouiam voti exſoluendi cauſa venit 9. Septembris.

Anno *1640.* Honeſta Agnes Petruſowa de oppido Chencinenſe ardentibus acutis febrium pulſibus per dies viginti ſine intermiſsione vrgebatur, cumq; nullā ſpē ſalutis videret, ſacris ſe Catholico ritu Sacramentis præmuniuit, & morbo ingraueſcēte mortem iam iam præſtolabatur. Cum interim Sancti Vincentij imago in mentem illi obrepſit; ergo calentibus votis Diuum inuocat, & ſepulchrum illius ſacrum ſe viſitaturam

pro-

promittit & ecce inopinatò refrigerationem quandam in corpore toto sensit atque conualescere incipit. Post dies igitur aliquot viribus ex debilitate refectis, ad sepulchrum Sancti cum marito suo venit & in gratiārum actionem sacrum fieri curat 21. Ianuarij 1640.

Anno 1633. Stanislaus Gauenda febri per quinque hebdomadas acutâ adustus, nec vitam hanc mortalem sperans, ad Diui Vincentij patroc nium confugit, vinum de ablutione Lipsanorum eius maxima cum deuotione bibit; & miraculosè conualescens sepulchrum eius adit, die 16. Decembris, & Gratiarum actiones Deo, Sanctoq; eius Confessori reddit

Anno 1633. Venerabilis Pater Melchior Thomaszowic Nouicampianus Vicarius ad Ecclesiam Seciminensem febri maligna afflictus & ad limina fati iàm appulsus, San-

cti Vincentij opem & auxilium deuotè implorare cæpit, & mox virum Sanctum lecto suo assistere luce amictum vidit sanitatemq; ab eo recepit mirifice consolatus in anima visione illa. Quare die eadem Sacrum Missæ sacrificium pro gratiarum actione celebrauit, ita valens & incolumis ac si nusquam infirmaretur. Postea Andreouiam adiens votum ad sacrum eius sepulchrum exsoluit die 22. Ianuarij.

Anno *1634.* Andreas Kwapien de Olesźno maligna febri laborans ad extrema iam ferè deuenerat, sed Patris cuiusdam è Sodalitate S. Francisci Conuentus Neokorczynensis commendatione Diuo Vincentio oblatus, cunctorum cum admiratione ingenti, hora eadem è lecto surrexit, & glorificans Deum paucos intra dies Andreouiam peregrinationem suscepit, ac die 18. Ianuarij gratiarum actionem Sancto ad eius sepulchrum reddidit.

Anno 1635. Religiosus Frater Ioannes Waxman Ord: Præd: febri maligna decumbens cùm à medicis remedium iam desperaret, vinum sumpsit ex ablutione reliquiarum Diui Vincentij, Superiore eum ad visitādum tumulū ipsius sacrū offerēte. Igitur precibus Confessoris Sancti pristinæ sanitati restitutus, votum die vigesima quarta Iulij expleuit, vna cum Venerabili Patre Vincentio eiusdem Instituti Professo.

Anno 1635. Honesta Potentiana Szumska de oppido Andreouiensi febri calida exagitata in delirium inciderat, multasq; blasphemias in Sanctos euomuerat. Aduocatur Sacerdos, qui omnino mente captam videns, nec dispositam ad receptionem Sacramentorum, quæsiuit ab ea: num sciret quis nam Sanctorum in Cœnobio Cistercienſium miraculis clareret. Respondit se nescire. Tum Sacerdos. Est Vincentius Sanctus cui

temet

temet commenda, Reſpondit, faciam libentiſsime & facio. Et interim obdormiuit. Poſt horam verò vnam aut pauló amplius euigilans ſana & bene valens, quæſiuit ab aſtantibus, cur imago Crucifixi ad lectum ſuum fuiſſet applicata, Dixerunt te periclitante de vita ſacerdos eam admouit, qui te etiam Diuo Vincentio commendauit, cuius neceſſe eſt vt tumulum viſites & Sacra fieri cures. Raſpondit primo mane omnia diuino freta auxilio faciam, nunc ſumpto cibo cubitum ibo. Craſtina itaque die quæ fuit 26. Decembris ad templum veniens Deo Opt. Max. eiuſque eximio Confeſſori Vincentio Sancto gratias reddidit, ſeque ſacris myſterijs poſt expiationem delictorum piè confortauit.

Anno *1640.* Feliciana Tangoborſka de Wengrzynowo toto menſe Maio febri ardenti vexata, Medicis nihil proficientibus

Sacris se mysterijs præmuniuit & loquelâ amissâ fatalem iam horam expectabat. Interim mater ipsius Catharina Czeska de Dombrowica turbata casu dilectæ filiæ Diuum Vincentium inuocauit. Quo audito illa moribunda statim prolocuta est & Serui Dei opem implorare cæpit seque totam sanam illicò sensit. Quare die 6. Iunij Andreouiam veniens sacrum viri Dei bustum religiosè venerata est, gratiarumque actiones Deo seruatori solennes fieri procurauit.

Anno 1635. Nobilis Hyacinthus Waxman diuturnis vexatus febribus, colicisque doloribus laterum sanitatem amiserat. Post fusas verò preces, ab amicis ad sepulchrum S. Vincentij visitandum voto obstrictus, & febribus liberatus est & laterum obtinuit pristinas vires. Paucosque intra dies votum exsoluens, tabulam argenteam testem beneficentiæ reliquit 8. Aprilis.

Anno

Anno *1635*. Nobilis Sophia Lubomirſka de Sadłowo inter febricitandum pleuræ & ſincopis affectiones perpeſſa tum plicę dolores ſuaſu Parochi ſui ad Diui Vincentij ſepulchrũ peregrinationem promiſit, interq; ſacra Miſſæ ſolennia ab eodem celebrata ſanitatem ſenſit, & paulò poſt vires priſtinas recepit. Votumque conceptum, quæ paulò ante aliorum manibus portabatur, pedibus ſuis gaudens peregit. 23. Aprilis.

Anno *1636*. Nobilis Sophia Karczowſka de Latawicze filiam ſuam febribus vexatam & apoſtemate ad auriculam ſiniſtram enato Diui Vincentij vino perunctam & potatam ſanam recepit ſacrumque eius ſepulchrum cum deuotione viſitauit & Symbolum beneficentiæ acceptæ tabulam argenteam appendit.

Sed enumerare omnes & Cathalogum recenſere eorum qui viri Dei beneficio à ma-

lignitate febrium liberati sunt, omninò impossibile est, quod nec singuli ab ipsis sodalibus Cistercij Andreouiensis connotati sint, nec nobis vniuersos ea affectione liberatos nominatim referre, ob tædium legentium consentaneum visum fuerit. Sufficit vnico verbo admonuisse, vino de ablutione reliquiarum illius & laterculis de sepulchro eius, innumerabiles morbos eosque varios fuisse sanatos: & quod ad sacrum tumulum eius multa vsque in præsens Dominus miraculorum signa efficiat, quæ illic in Chartophilatio Cœnobij conscripta habentur, in laudem & gloriam Præpotentis Dei, qui est benedictus in sæcula.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM

De Paralyticorum Sanatione.

GLorioſus Dei athleta Vincentius cognomento Kadłubcus, noſtra ætate, ad honorem & gloriam nominis Chriſti, atque totius ſpem Chriſtianæ plebis, eius ſuffragia poſtulantis, honorificè exaltatus, cum alios diuerſos, ac infinitos penè morbos, tum membrorum diſſolutionem, frigida vt inquiunt Medici ex cauſa prouenientem, quam Paralyſim vocant, diuinitus curare ſolet, quo nos ad reddendam Deo gloriam calidiores efficiat. Longum profectò eſſet omnes enumerare, quos ſua apud Deum interueniente ſuffragatione, priſtinum reſtituit ſanitati, qui ſacrum eius tumulum venerati ſunt: vbi per eius merita & preces,

ma-

magnas hodie dum virtutes Diuina potentia quotidie efficere dignatur. Aliquot attamen exempla ad consolationem piorum, afferemus.

Anno *1633*. Catharina Sucha, præ morbi grauitate, membra dissoluta habens, loco se mouere nequibat, pedumque simul ac manuum vsum deperdiderat. Igitur à baiulis in templum Monasterij Andreouiensis portata sacra synaxi primo se præmuniuit, postmodum gustauit de vino, quæ Reliquiæ D. Vincentij fuerunt ablutæ, & in populi frequentia mox conualuit miraculosè. Suisq; pedibus Deum glorificans domum remeauit.

Anno *1633*. Honesta Heduigis Krzeczkowna acerrimo correpta morbo motum ferè totius corporis ita deperdiderat vt vltimam sibi horam imminere iam videret. Quapropter ad D. Vincentij merita magna

cum

cum deuotione confugiens, ſubitò ſe curatam ſenſit ſepulchrum Diui inuiſit, & tabulam argenteam mnemoſynon beneficij accepti appendit: poſtque Synaxim ſacram receptam gratias immenſas agens Deo & S. Vincentio læta inde & incolumis digreſſa eſt.

Anno *1633.* Frater Helias Węglicki eiuſdem Conuentus Andreouienſis Profeſſus à Paralyſi liberatus, ſuperiorum ſuorum permiſſu eiuſmodi teſtimonium nobilior metallo inſculptum ad buſtum Serui Dei venerandum affixit.

Ad maiorem Dei omnipotentis gloriam Beatiſsimæ V. MARIÆ, nec non Beati Vincentij Kadłubconis perenne decus. Frater Helias Węglicki Monachus. Sacri Ord: Ciſtercien: Profeſſus huius domus, Diuina ope, meritisque Beati Vincentij ſuffragantibus à morbo ſciatices & ab infeſtatione paralyſis vtroque periculoſo exanimis voto

liberatus, gratitudinis suæ testandæ, hanc vilem laminam argenteam, in rei memoriam perpetuam D D. D. die 1. Iulij 1633.

Anno 1634. Catharina Fektusowa Herpetas perpetiens & manum dexteram mouere ob Paralysim superuenientem nequiens ad D. Vincentij opem supplex confugit, visitatoque eius sacro busto, expiatisq; sceleribus & mente Sacramentis Diuinis cõmunitâ sanitatem pristinam recepit, 20. Iulij & signum beneficentiæ acceptæ manum è cera formatam plebis consuetudine, ad Diui monumentum reliquit.

Anno 1634. Ioannes Karcz Ciuis Chencinensis Arteriacus totus, & capitis dolores ingentes atque neruorum contractionem multo tempore passus, ad extremum denique vitæ augescentibus se affectionibus adactus, non aliunde opem quærere quam à Deo ipso vitæ authore, Seruisq; illius charis

in

in quibus gloriam ſuam mortalibus declarat. Igitur ad Sancti viri opem accurrens, promiſit ſe diligentiſsimum fore in excidendis marmoribus pro exornando tumulo ipſius. Atque ita miraculosè conualuit, è ſtrato ſurrexit, atque Diui ſepulchrum pergens argẽteã tabulã teſtẽ beneficij exorati appẽdit.

Anno *1634.* Nobilis Hieronymus Paczek Artetica ſiue Paralyſi verius laborans, ferè per annum integrum adeo compages membrorum diſſolutas atque debilitatas habuit, vt poſt omnes conatus Medicorum vſum ad extremum manuum pedumq; amiſerit. Suaſu igitur Sacerdotis cuiuſdam è Societate IESV ad Diuum Vincentium reſpexit, eiuſque ſacrum ſepulchrum viſitare ſtatuit promittens in honorem ipſius ſingulis ferijs quintis per annum pauperes prandio lauto & cœna excipere duos cereos Diuo offerre & tabulam argenteam cum beneficij

agnitione descripta ad tumulum eius appendere. Voto sic emisso, statim melioration-nem sensit, & paucos intra dies pristinam sanitatem recuperauit. Andreouiamque ocius pergens votum emissum lubens exsoluit, die 8. Nouembris.

Anno *1634.* Gregorius Skorka de Karniowice Artetica laborās, & quasi ad Paralysim vergens, Diui Vincentij sepulchrum visitare proposuit, & membrorum firmitate & cōsolidatione miraculosè obtenta votum exsoluit die 3. Ianuarij iterum atque iterum tumulum eius sacrum veneratus.

Anno *1634.* Stanislaus Więcek ciuis Miechouien: per mediū paralysi tactus, vino partē affectā de ablutione Reliquiarū S. Vincentij perungens sanus & robustus euasit, votumq; ad sacrum tumulum eius cum gratiarum actione 15. Maij persoluit.

Anno *1634.* Honesta Dorothea Sadło-

dłowa de villa Kszany propè Opatoueciam, Paralysi per medium tacta, duos menses in luctu & melancholia exegit, non valens è lecto per se surgere. Tandem audiens de Diui Vincentij virtutibus & miraculis assiduis, ad eius sacrum sepulchrum se deportari rogauit, plenam spem animo gerens, quod ad tactum tumuli eius pristinam sanitatem receptura foret. Igitur voto emisso statim meliuscule se habere sensit, ac paucos post dies iter propositum pedes suscepit; quæ antea à baiulis portabatur, & læta peregit, Sanctum Confessorem die 15. Decembris in templo Andreouiensi venerata.

Anno *1640.* Nobilis Maximiliani Borowski, vxor paralytica voto visitandi sepulchrum B. Vincentij per Sacerdotes pro ea sacrificia offerentes, magna cum fiducia concepto, statim meliuscule habere cæpit. Missoq; Andreouiam ad Patrem Priorem, qui

vinum adferret ablutione ossium Diui huius celebre vbique & sacrum, vt primum ore gustauit, confestim è lecto surrexit, membrorumq, vsum & incolumitatem recepit. Tum factis domi gratiarum actionibus Omnipotenti Deo post dies aliquot sacrum Diui Cõfessoris tumulum visitauit.

Anno 1640. Reuerendus Albertus Zawadkowicz Præpositus & Plebanus in oppido Klwow Archidiæcesis Gnesnensis præsens in Monasterio Andreouiensi testatus est ore & scriptura. Matrem suam septuagenariam, Anno Domini 1639. infra octauas S. Stanislai Episcopi & Martyris paralysi tactam, quinq; hebdomadis decubuisse, omnibus sensibus destitutam. Voto verò facto ad sepulchrum S. Vincentij, sanitati pristinæ Deo auxiliante ac Sancti huius meritis restitutã esse. Quæ hodiedũ viuit, ad maiorẽ Dei omnipotẽtis gloriã, sanctiq; huius viri beneficiorũ prædicationẽ. die 5. Iunij anno quo sup.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De Claudis, gressum & sanitatem D. Vincentij suffragatione recipientibus.

ANno *1633.* Stanislaus Szafranek ciuis Andreouiensis fracto crure per annos quadraginta fluxum tabis seu Herpestiomenes patiebatur, consumptisque ferè omnibus bonis suis in comparandis Medicinis ad paupertatem deuenerat. Vt verò Sancti Vincentij ossa fuerunt subleuata & vino pro more abluta, impetratis à Sacrista Cœnobij aliquot guttis vini illius, locum doloris perunxit & puluere de sepulchro eiusdem Sancti maxima cum fiducia conspersit, ac omnibus vicinis in admirationem cõuersis, gressum tanto tempore amissum recepit

atq;

atque ſuis pedibus die 3. Septembris Diui ſepulchrum adijt, ceram effigiatam cum reliquis ſanitatem obtinentibus in pariete appendens, vt ſint monimenta virtutum Chriſti; & ea videntes vniuerſi enarrent magnalia eius.

Anno *1633*. Ioannes Madeyſki vnus è ſeruis Illuſtriſsimi Præſulis Chelmenſis Remigij Koniecpolſki Abbatiæ Andreouienſis Adminiſtratoris perpetui, pedis dolore atq; febris calidæ ardoribus exagitatus Diuum Vincentium inuocauit auxiliatorem, obtentaque cælitus ſanitate die ſequenti ſepulchrum eius inuiſit ac iureiurando aſſeruit ſe in ſomnis vidiſſe tumbam Sancti, hanc ipſiſſimam, quam nunc in Sacrario Monaſterij videret, luce ineffabili circumſeptam anteq; eam duos cereòs ardentes. Quapropter omnes laudarunt vno ore Chriſtum, Confeſſorem eius prędicando, ad cuius tumulum id

ge-

genus quotidianis consolationibus Religiosi Sodales Cistercienses recreantur. Hoc verò accidit die 8. Maij Anno 1633.

Anno *1633*. Honesta Agnes Bartizelowna de Olesźno pedum dolore affecta ad Diui Vincentij medelam supplex confugit, & vino de ablutione reliquiarum illius perungendo, laterculoque de sepulchro eiusdem in puluerem contuso fistulas defluxum attrahentes respergendo paucos intra dies sanitatem recepit & gressum firmum absque omni claudicatione. Veniensque ad sepulchrum eius, pedes, quæ antea portabatur à baiulis, Diui beneficium inse collatum palam prædicabat, & cera pedem effigiatum ad parietem appendit. 7. Septembris.

Anno *1634*. Simon figulus Andreouiensis, dolorē pedis nimium perferens, nec tota septimana progredi quidpiā valēs, laterculum de sepulchro S. Vincentij strophiolo inuolu-

tum cum reuerentia magna & fiducia pedi affecto applicuit, & 1. Iulij gressum integrum & firmum recepit. Quare ad sacrum tumulum confugiens pro acquisita sanitate gratias peregit Sacrosanctam Synaxim sumpsit & Hymnum Ambrosianum decantari curauit.

Anno *1634*. Andreæ Rodarij Neokorczynensis vxor, septennio vsu pedum carens, vt primum de vino Diui Vincentij gustauit, mox grabato suo surgens gressum recepit, & ad Diui sepulchrũ pedes veniens pro pręstito beneficio gratias qua par erat deuotione reddidit die 26. Augusti.

Anno *1634*. Anna Watrobina de oppido Xiaz quindecim annorum spatio pedis vnius dolores pertulit, vsuque illius ob herpestiomenes molestiam caruit. Vino itaque quo cineres Beati Cõfessoris abluti fuêre aliquoties respergendo, sanitatem paucos in-

tra

tra dies recuperauit, & tumulum eius 17. Martij visitans, Gratias immortales Deo Sanctoque eius Confessori reddidit.

Anno *1635.* Honesta Agnes Sabelczykowa manus dolorem immensum patiens, nec vsum illius habens, vino S. Vincentij perunxit & sepulchrum eius deuotè visitauit, insignum beneficentiæ acceptæ manum argenteam ad bustum eius appendens.

Anno *1640.* Nobilis Elizabeth Strászowna Generosi Stanislai Suchocki coniunx, pedum dolore laborans, perque duos continuos menses decumbens omnem vim gradiendi perdiderat. Sed auditis, ad sepulchrum Serui Dei Vincentij tot ac tantis miraculis patratis, ipsa quoque illud deuotè visitare constituit. Et vix votum emisit, protinus vsum pedum recepit. Surgensque è lecto perambulare cæpit, & psallere Deo, qui per sanctos suos magnalia operatur. Munus

verò ad tumulum ſancti obtulit die 17. Aug. Anni 1640.

Anno *1640.* Nobilis Chriſtina Olſzewſka quatuor menſibus vſu pedum carens ingentesque dolores maximè nocturno tempore in ijs perſentiens, cum nullis medicamentis lenire dolorem potuiſſet, inaudiuit à viſitantibus, ſe matronis apud Diui Vincentij ſepulchrum complures claudos gratia Dei ſanitatem obtinuiſſe. Itaque & ipſa viſitare tumulum eius ſacrum inſtituit, eiusque precibus ſeſe commendauit. Et ecce mox dolor ille intenſus remiſit, illaque rebus ſuis diſpoſitis poſt aliquod tempus Andreouiam veniens, gratiarum actionem ſumptis ſacris myſterijs ſolennem peregit. 26. Febr.

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVARTVM

De curatione Hypochondriacorum, Phreneticorum, & exhorrentium Phantasmata.

POsteaquam vicinia tota profusam benignitatem Sancti Confessoris in suis necessitatibus experta esset, cæperunt longinqui etiam ad limina tanti Patris venerabundi aduolare, eumque sibi pariter cum finitimis in patronum, assumere.

Anno itaque *1634.* Thomas Sernik, de Wolia propè Zarnoueciam sita, nocturnis illusionibus perterrefactus, vti naturâ melancholicus erat, assiduè phantasmatibus exagitabatur, & in phrenesim deinceps ob id lapsus timore animo, occupato in blasphemias assiduè erumpebat Demum & Cardiaca emo

riebatur, cibum per sex ferè septimanas, atq; potum abhorrens. Quare & somnum ieiuno stomacho capere haud quaquam poterat, & debilitatem virium in dies maiorem sentiebat. Conclamatum itaque erat de illo, nec vitam quispiam ei pollicebatur, præter venerabilem Patrem Valentinum, vicarium Zarnouiensem. Qui vicem eius miseratus, toto animo cælestem ei studet conciliare medicinam, atque Sancti Vincentij patrocinio commendat, vouens in basilica Andreouiensi ad loculum illius sacrum, cum munusculi alicuius oblatione. Itaque totus humi prosternitur, tacitusque lachrimis & precibus Dominum, & Sanctum Vincentium interpellans, orat vt ægri membra & animus sanetur. Et pius Confessor adeò eius precibus annuit, vt mox incolumis surgeret, & lumine mentis illustratus, deuoto animo & sermone Christi nomen benediceret, & paucos

in-

intra dies votum religiosè persoluerit. Andreouiam 15. Ianuarij veniens.

Eodem anno 1634. Eua Cwikowa Clobucensis, ex melancholia hypoondriaca, in maniam & horrores phantasmatum inciderat, atque demum furibunda facta, agitatione assidua, atque inedia, diuersas sibi affectiones adauxit, ita vt omnium opinione fatis iam appropinquare videretur. Interim vicinæ fæminæ eam visitantes Sancti Vincentij mentionem iniecerunt, vinoque de ablutione Cinerum eius sacrorum allato, ægram potarunt, & ad ædem Cœnobij Andreouiensis, in qua beatissimi Præsulis ossa quiescunt, eam perducturam vouerunt. Res mira, vt vinum ori iufusum deglutijt, mente & corpore statim sanata fuerit. Igitur tanto miraculo conspecto, tota vicinia in domum eius concurrit, gratulatur, miratur, & summam ac Sacrosanctam Trinitatem, in B. Vincentij

tij meritis plebs vniuersa benedicit. Illa verò vori exsoluendi gratia, ad tumulum eius venerandum, vbi omnis generis, salutaris medicina exhibetur, quamprimum perrexit: gratiarumque actiones die 17. Maij, vt in anniuersarijs Fratrum habetur, cum lætitia & exultatione reddidit.

Anno 1634 Iustina quoque Notarij Malogoscensis vxor, puerum suum ex apparitione phantasmatum. Fortasis malitia hostis humani obiectorum, & sibi occurrentium perterritum, horrentemque ex eo conspectum humanum, ad Diui loculum supplex obtulit, rogauitque multo lachrimarum imbre Sancti Vincentij patrocinio dæmonium meridianum ab eo repelli, cum crassi humoris, melancholiam nociuam & furorem generante contumauit. Quod vbi impetrauit, gratiarum actiones solennes. 8. Iulij decantari procurauit, seque ipsam aduersus

omnes

omnes insultus infernales sanctis Sacramentis præmuniuit.

Itidem *1634.* Agnes Odbiezanka de Włoszczowa, phrenesi furibunda ac rabiosa, ferreos torques & cathenas quibus vinciebatur rumpebat, persequabaturque homines & vulnerabat, dentibus etiam laniendo. Murum quo includeretur, stupendis viribus, absque vllo instrumento diruit, & in syluas profugiens, velut rabiosa fera vagabatur in quemuis obuiam sæuiendo. Capta igitur & domum adducta, vino de ablutione reliquiarum S. Vincentij pota, confestim ad se redijt, & ad sacrum eius tumulum 28. Iulij prouoluta, integram sanitatem impetrauit.

1634. Institoris Mogilensis vxor, re & nomine hac in parte Fœlix; quod phrenesi è morbo diuturno, contracta Patris Fr. Bartholomæi, Professi Monasterij Claræ tumbæ orationibus Diuo Vincentio commenda-

ta,& vino de exuuijs ipsius ablutis hausto,sanitatem miraculosè obtinuerit. Quæ rebus demum suis domi ordinatis ad sacrum eius sepulchrum peregrinationem suscepit,proque recuperata valetudine,die 11. Nouembris,gratias Deo Præpotenti Andreouię reddidit: vbi multis in Deum credentibus, & fideliter petentibus sanitates diuersæ iugiter conferuntur, præstante & miserante Domino Iesu Christo, qui Confessorem suum tot signis clarificare non desinit.

CAPVT DECIMVM QVINTVM

De illuminatione cœcorum virtute Serui Dei
VINCENTII KADLVBKONIS.

QVi sempiternæ lucis arcem, Angelicosque ordines miratur Beatissimus Vincentius noster, non corpoream mo-

modo ſanitatem oculorum lumine orbatis impetrare à Deo ſolet, ſed cæleſtis quoque luminis menti copiam maiorem afflare conſueuit, quo vt ſcilicet temporalibus tenebris diſcuſsis operum maieſtatis intendant eius, qui eſt lux vera omnem illuminans hominem. Cuius nutu & diſpoſitione mulier quædam.

Anno 1633. Regina Boľkowa de villa Zdanowice duodecim annis dolores capitis aſsiduos ſentiens vtroque lumine cæcutiebat, vt verò audiuit de ſubleuatione Cinerum Beati Vincentij (ab eo enim tempore, ex illo venerando beati Antiſtitis loculo morborum omnium multifaria eſt curatio profecta, & quibuſlibet corporum infirmitatibus Sancti Præſulis pietas medicatur) & miraculis diuerſis ad ſepulchrum eius factis, ſtatim & ipſa voto concepto viſitare illud cum deuotione cupiens, itineri ſe accinxit;

primaque statim nocte per somnium Diuum luce ingenti circumfusum vidit. Præ gaudio igitur expergefacta, & lumen oculorum protinus, & sanitatem capitis ab illa visione recepit, veniensque ad templum Andreouiense atque imaginem Diui conspicata est, palam omnibus eiusmodi virum nocte præteritâ se vidisse & ab eo sanitatem obtinuisse glorificans Deum prædicabat. Quàpropter beneficij memor post peractas gratiarum actiones solennes Mnemosynon agniti beneficij crucem argenteam ad eius sepulchrum appendit.

Eodem anno 1633. Nobilis Sophia Karczowska cognatam suam vndecim annorum virginem ex morbo monoculam factam, madefactione vini de reliquijs Beati Vincētij visum ei restituit, & ad sepulchrum illius sanam & clarè lumen solis videntem. 11. Septembris eam præsentauit.

An-

Anno 1633. Catharina Iastrzębska cancro in facie affecta serpente in dies malo, oculum sinistrum deperdiderat, quare ad Diui Vincentij tumulum votum emisit, laterculoq; è sepulchro illius apostemati applicato, sanitatem acquisiuit, & votum promissum maxima cum deuotione 29. Septembris exsoluit.

Anno 1633. Honesta Anna Czechowicowna è Setrapia Smolenscensi per septennium luminibus orbata, religionis ergo diuersa pia loca in Polonia visitans ad Diui quoq; Vincentij sepulchrum venit. Vbi more peregrinantium sacris expiata mysterijs vino ablutione reliquiarum sancti Confessoris, infra orationem ad tumulum eius oculos aspersо miraculosè statim visum amissum recepit, glorificansque Deum publicè, obtenti beneficij testimonium quod in patria exhiberet à Reuerendo Patre Martino Sule-

ouio Cœnobij Andreouienſis Præfecto in ſcriptis accepit die 9. Septembris.

Anno 1634. Nobilis Ioannes Rzecki è Podolia luminibus captus cum diuerſa loca pia etiam apud exteros celeberrima viſitaſſet, tandem domum rediens inaudiuit de Sãctitate & miraculis ad ſepulchrum Diui Vincentij fieri ſolitis magna cum fiducia eo ſtatim contendit certocertius ſperans ſe ad eius ſacrum tumulum viſum perditum recepturum. Nec eum ſua fefellit opinio, vt enim ad tumulum eius deductus, vino de reliquijs eius ſacrato oculos ſibi perunxiſſet ſtatim lumen cæli videre cæpit & glorificans Deum cum gaudio in patriam repedauit 27. Iulij.

Anno 1634. Matthias Wdowczyk agricola villæ Brinicenſis filiam duodecim annorum à triennio lumine vnius oculi orbatam, ad Diui ſacrophagum præſentauit, & vino de ſacris eius exuuijs ablutis oculo ei

lo ei peruncto, sanam domum reduxit, peractis gratiarum actionibus 30. Iulij.

Anno 1634. Nobilis Simon Golian de Strozysko septem mensibus oculorum dolorem, & cæcitatem perpessus tumore supercilliorum visum omnino impediente, cum medicinæ causâ diuersas ciuitates peragraret. Contigit vt Nouam ciuitatem Corcinensem transiens de miraculis & curationibus varijs sancti Vincentij inaudiret, donatusque à ciue quodam esset vasculo vini ex abluttone Lipsanorum eius sacrati, quo recitatis cum vxore simul quinquies Salutationibus Angelicis & Oratione Dominica, magna cum fiducia oculos sibi perunxit, atque protinùs lumen amissum recepit. Igitur magnitudine miraculi permotus recta Andreouiam ad Diui sepulchrum perrexit & sacra synaxi cõmunitus, post solennes gratiarum actiones Deo Præpotenti & sancto Vincentio peractas domum lætus abijt 10. Octobr. An-

Anno 1634. Franciſcus Hortulanus de villa Tur, puerum ſuum variolarum violentia excæcatum poſt vnius anni ſpatium ad Diui Vincentij ſepulchrum offerens, viſu redonatum domum retulit 18. Martij, Gratiarum actione peracta. Quis non miretur tua Chriſte magnalia? Quia Vincentius lux in Domino fuerat, & vt filius lucis ambulauerat, tu lux vera omnem hominem illuminans data ad preces eius puero innocenti luce, & patrem illius & omnes miraculum id videntes ad æternam lucem per bona opera procurandam benignè inuitaſti.

Anno 1634. Catharina Mazurkowa de Piotrkowice quæ ad tres menſes luminibus mulctata fuerat, ad ſepulchrum verò Diui Vincentij adducta, Quo in loco in hodiernum vſque diem ſanctus Confeſſor frequentes operatur curationes, & multa miracula, cuilibet roganti benignè ſubueniens, & eius

cu-

curam Christi mandato gerens, visum prostrata in terram impetrauit, & sacris communita Sacramentis, benè valens & videns 15. Martij domum redijt.

Anno 1634. Dorothea Stankowa de villa Pilczyce, apud Predboriam dolore capitis oppressa lumen oculorum omnino deperdiderat, sincopisque insuper malum cum tempore acquisiuerat. Igitur ad D. Vincentium deuota sepulchrum eius 12. Aug. visitat, squanimas oculorum deponit, & magnalia Dei loquens domum læta abit.

Anno 1634. Iacobus Georgij ex districtu Stenzycensi, monoculus ex vi morbi factus, cum circa Opatouiam iter peragens, à quadam deuota fœmina de miraculis & sanctitate Diui Vincentij inaudisset, recta ad sepulchrum illius contendit, & squanimâ de oculo ipsius in templo decidente visum ex in-

tegro recepit Gratiasque Deo & Sancto eius Confessori ibidem reddidit. 22. Nouemb.

Anno 1634. Honesta Sophia Bogdalowa de Brynica doloribus capitis nimium afflicta aciem quoque oculorum hebetatam habuit. Proinde ad Diui Vincentij opem & patrocinium confugiens vinoque de eius reliquijs sacrato caput & oculos perungens incontinenti miraculosè sana & incolumis facta, ad tumulum eius cucurrit, & Missa de SS. Trinitate fieri procurata signum obtentę beneficentiæ ceræ imprimi consolationibusque miraculorum patratorum inscribi à Sodalibus Cœnobij rogauit.

Anno 1634. Honesta Anna Celciowa oculorum dolores ingētes seu Ophthalmiam vna cum marito suo perpessa. Quare vterq; vino de reliquijs ablutis Sancti Vincentij oculos madefaciendo miraculosè recipiunt visum & die 6. Iulij Andreouiæ comparentes

si-

ſignum teſtimonij cera effictum ad Sarcophagum Diui relinquunt.

Anno. *1634.* Barbara Babicowa Ingẽtem oculorum dolorẽ perpeſsa, vino de ablutione reliquiarum Sancti Confeſsoris 8. Iulij curata, & rei teſtimonium nobilioris metalli tabulæ in ſcriptum ad Diui tumulũ appendit 8. Iulij.

Anno. *1634.* Iuſtina Baruſka filium Chriſtophorum nouem menſibus vno oculo cæcucientem, poſt multas variasq; medicinas in vanum adhibitas tandẽ eum vino de reliquijs ablutis Sancti Vincentij curauit, & ad ſacrum eius ſepulchrum arrhabonem acceptæ beneficentiæ poſuit 21. Iulij.

Anno *1634.* Honeſtus Ioannes Babicki organarius Reuerendi Patris Gomolinſki Præpoſiti Iwanouienſis, in morbi grauitate viſu oculi dextri priuatus per quinquennium orbitatem illam perpeſſus eſt. Tandem

voto ad Diui Vincētij ſepulchrum cuius iam tunc fama longè latèque diffuſa erat religioſa mente concepto. Cùm aliquoties vino de ablutione oſsium illius ſacrarum illud cum firma ſpe madefeciſſet, lumen miraculosè recuperauit & Andreouiam 25. veniens Iulij Gratias lucis datori ſolennes peregit.

Anno 1634. Honeſta Sophia Paleczkowicowa fabri lignarij in oppido Neokorczynenſi vxor Ophthalmia laborās, præque dolorum intenſione tota ſeptimana cæcutiens, Diui Vincentij auxilium implorauit, & vino de reliquijs illius perunxit, atque mox ſana & benè videns ad ſepulchrum eius 18. Ianuarij venit.

Anno 1637. Nicolaus Gołuchowſki ciuis Leopolienſis virulentia Plicæ per tres annos luminibus orbatus fuerat, ſed vt audiuit nouum in Polonia ſydus illuxiſſe Beatum Vincentium, qui ſua interceſsione apud Deum

um varios morbos in hominibus curare cæpit. Rogauit vicinam ſuam quandam, timoratam fæminam & religioſam, ſed iam in viduitate conſtitutam quo vellet pietate Chriſtiana ducta cum filio ſuo Bartholomæo eius miſereri, illumque Andreouiam ad ſepulchrum Diui Vincentij deducere; habebat enim ſpem firmiſsimam, quod eius ſuffragiis lumen oculorum ſuorum recepturus foret. Paruit illa petitioni vti pia, deduxitque eum ad locum optatum licet non abſque moleſtia tam prolixi itineris. Sed vbi ad templum ventum eſt accepto vino de ablutione Lipſanorum ſancti viri, ſacroque Miſſæ officio de more audito diuertit in domum Pauli Babica ciuis Andreouienſis abſque vlla conſolatione. Quin imo ſub veſperum febri malignâ miſer correptus intra aliquot horas ita debilitatus fuerat, vt omnes ferè conſolantes eum, & remedijs diuerſis iuuantes, de vita il-

lius desperauerint. Nocte igitur concubia cum omnes somno indulgerent, ille Diui nihilominus nomen in ore & mente assiduè habens, vinum quod è templo acceperat oculosque suos eo perfuderat, præ ardore nimio viscerum è febre proueniente ebiberat, vel sitim qualitercunque restinguere cupiens. Cum interim totum se refrigeratum miraculosè sentiens in somnum dulcissimum prolabitur? Expergefactusque sole iam orto, & benè sanum se esse aduertit & oculum sinistrum aperiens, lucem cæli & cuncta quæ in domo agebantur videt. Igitur lætior factus atque tumulum Diui quantocius currens gratias Deo Patri misericordiarum reddidit, & lumen plenum recepit die decima nona Maij.

Anno 1638. Honesta Heduijs Szpitalanka, de oppido Włoszczowa, Deo permittente visu penitus orbata à festo S. Luciæ vsque ad

fe-

festum sancti Patris Benedicti lumen cęli non vidit. Interea visitante illam quodam Sacerdote sæculari & consolante, facta est inter colloquendum mentio S. Vincentij quem Dominus ad gloriæ cælestis sublime fastigium prouexit, & per eius interceſsionem multa in Æde Androuiensi miracula ex fide petentibus Christi benignitate exhibentur. Qui onere Episcopalis sarcinæ expeditus, & de naufragio mundi se enatasse lætatus, portum Andreouiensis Cœnobij expetijt & contemplationi vacans habitauit secum. Hunc ex vinea sua omnipotens Deus vnum electum, seu palmitem ad nos vsque extendit qui scilicet tanto vernat flore sanctitatis, tanto fructu exuberat beneficentię erga gentem suam, vt credatur de corpore illius esse, qui dicit de seipso per Euangelistam. Ego sum vitis vera vos palmites. Igitur hortatur ægram sacerdos vt se commendaret Deo, po-

stea

ſtea interceſsioni huius Sancti. Prouolutusq; ipſe in genua votum concepit, & adituram promittit ſacrum eius tumulum, vbi meritis eius omnibus pio corde quærentibus præſtantur multa beneficia vt primum á Domino viſum deperditum recepiſſet. Dixit ille & Numen diuinum adorauit: hæc verò continuò viſum priſtinum recipiens & ad monaſterium accurrens, Fratribus loci, & populo vniuerſo, Dei mirabilia in ſe manifeſtata expoſuit die 29. Martij. Mirantur omnes qui aderant, & illa gratias agens Deo domum læta reuertitur.

Anno 1639. Iacobus Sokołowſki ciuis Leopolienſis, nouem menſibus & amplius oculorum dolorem, & vnà cæcitatem ſufferens, cum multis medicamentis humanis viſum reſtaurare potuiſſet, ſuaſuque medicorum opem diuinam & cæleſtia remedia quærere iuſſus fuiſſet; loca cultu Diuæ Virginis

in

in Ruſsia celebriora Socaliam atque Podkamienum ex voto viſitauit. Et gratiâ non impetratâ triſtis cum vxore mœſta domum redijt, quæ magis de morbi mariti ſui ſolicita fuit quàm ille de doloribus & afflictione ſua. Reſpexit igitur Conſolator optimus Deus, ad preces famulæ ſuæ, & miſit ad eam per ſomnium quendam ex Ordine Ciſtercienſi virum ſanctum candido habitu indutum qui comparens placidiſsimè dixit. Virum tuum Diuo Vincentio commenda, & ſanabitur. Et his dictis diſparuit. Fæmina die ſequenti proſiliens è lecto, currus ſtatim domeſticus incumbit moniti ſalutaris oblita: & vt poſtea ipſa faſſa eſt, ſomnia & viſiones eiuſmodi nihili æſtimans. Sed ecce nocte ſequenti, monitor diuinus iterum adeſt, forma hominis ſenis & iam benè ætatis proiectæ, habitu quali & primò, candidus, inquiens. Maritum tuum Diuo Vincentio of-

fer, & ſanabitur; domi verò tuæ omnibus portis hæc verba Polonicè ſuperſcribe LAVDETVR SANCTISSIMVM SACRAMENTVM. Quod pia materfamilias primo ſtatim diluculo ſcribi curauit, de Diuo verò Vincentio nuſquam notitiam aliquam habens, Diſcalceatos Carmelitas qui in vicinia erant adijt ſciſcitando cum diligentia magna, quo nam in templo vrbis Seruus Dei Vincentius quieſceret. Sed cum reſponſum accepiſſet, Vincentium Seruum Dei quieſcere in Monaſterio Andreouienſi in Minori Polonia, confeſtim maritum ſuum eò miſit addito cuſtode & conductore Reuerendo Patre Bartholomæo Skibinſki Eccleſiæ S. Annæ in ſuburbio appellato Cracouienſi Præpoſito. Qui vt primum iter ſuum aggreſsi ſunt, ſtatim cæcutiens ille miſer, viſum ad intetceſsionem D. Vincentij ex integro recepit. Et tumulum in quo ſacræ illius exuuiæ quieſcunt

pro-

profundè veneratus. Litanias de B. Virgine atque missam, pro gratiarum actione solenniter decantari curauit. die 20 Nouembris anno 1639.

Anno *1640.* Honesta Regina Francikowa de oppido Radoszyce filiam itidem nomine Reginam septem annorum cæcitate mulctatam cuius oculos palpebræ compressérant, & omni videndi facultate priuârant ad Diui Vincentij tumulum adduxerat, quē vt confessione peccatorum facta manu tetigit, detersá caligine oculorum ex fide abscessit videns ipso die Sancto Stanislao Martyre Sacro, anno 1640. populo vniuerso Deum glorificante in Sanctis suis.

Anno *1640.* Nobilis Virgo Anna Łodzińska de Przyłęczek annorum iam quindecim, post ingentes capitis dolores seu ophthalmiā cæpit oculis caligare, veluti nebula quadam visum offuscante. Adhibita medi-

camenta varia maxima cum diligentia vltra nouem menses nil opis attulerunt, quin imo corporeis destituta viribus, acri cæpit febre pulsari, concuti, atque discruciari. Quapropter mæsta parens illius, fœmina Hæretica humanis auxilijs non proficientibus, ad Diui Vincentij merita confugit, diuinamque opẽ eius interuentu postulauit, & ad sacrum eius sepulchrum filiam sistens, gratiam quam sperabat impetrauit quæ scotomia per sumptionem synaxis depulsa læta & benè videns abiit 8. Septembr. anno 1640. vt liquidò daretur intelligi Beatum Vincentium non modo in terris clarere miraculis, sed etiam in cælis gloria frui sempiterna in Christo Iesu. Cui gloria & potentia cum Patre & Sancto Spiritu in infinitas myriades sæculorum.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De Auditu Surdis restituto.

FActa, vti diximus subleuatione exuuiarum Diui Confessoris Vincentij, quem Deus Omnipotens tot signis dignum omni veneratione declarauerat; maiora per eum cœpit operari in populo, curare morbos, & varijs pressos calamitatibus infinitis afficere beneficijs. Quos inter.

Nobilis Elizabeth Popławska, mediæ ac florentis ætatis matrona, sed moribus sancta & pudica vidua, velut altera Iudith mundi illecebras fugiens, permissione Diuina, adeò laborabat ex capite, vt prorsus auditum deperderet. Adhibebantur medicorum fomenta varia: sed inde in tantum excreuit dolor, vt & mente, & mouendi facultate destitue-

tueretur. Ad virum igitur Dei Vincentium, cum lachrymis & orationibus accurrens, post expiationem Sacramentalem omnium delictorum, dolorum quoque remissionem, stans ad loculum eius cum deuotione, sensibilem se habere asseruit, & sub finem Missæ auditum deperditum miraculosè recepit, die 3. Iulij, Anno 1634. Quapropter in Symbolum acceptæ beneficentiæ, rem secum gestam, tabulæ melioris metalli inscriptam, apud Diui bustum lubens suspendit.

Quo etiam tempore, & Nobilis Barbara Salomea Łacka, ex nimia morbi grauitate, perdito vsu sermonis & auditu vicinam se morti iudicauit. Ratione tamen pollens firma ac memoria, cum multis lachrymis salutem à Domino, per B. Vincentij merita petiit, vinumque ex ablutione Cinerum illius, sibi dari, certis signis ac nutibus postulauit. Quo cum deuotione & spe firma sanitatis gu-

sta-

ſtato, tum ipſa die 15. Auguſti, ſubitò & præter omnium opinionem conualuit, tum filiam quoque ſuam, nomine Elizabetham, eodem cęleſti medicamine die ſequenti, à morbo & morte liberauit. Hæc ſiquidem vlcere peſsimo, Cancris appellatione horrendo, faciem & capitis partem ſiniſtram infectam habebat, nec vlla arte humana mederi poterat. Quin imò medicamentis adhibitis malum illud exacerbatum, ex commotione humorum anciput magis occupabat, quàm leniebatur: ſingulis nouilunijs recrudeſcens, & in maiorem quantitatem accreſcens. Interea temporis ſuperueniens in opinatò, deuota Deo monialis Elizabeth Grabowſka, Tertij Ordinis S. Franciſci in Clauſtro Chencinenſi habitans, vino ſupradicto S. Vincentij contra omnem aſſenſum medentium, vlcus illud inungere iubet: votumque nuncupat nomine decumbentis Virginis, limina

Diui

Diui Vincentij adituram, reddituramq; grates Deo pro benigna & misericordi castigatione ad tumulum eius. Vix hæc effata, cum ægra melius se habere dicit, & ad Ædem Andreouiensem vna cum matre sana & incolumis pergit, vt lamina argentea 16. Augusti appensa ibidem gratitudinis ergo, latiùs testatur. Vbi multa similium affectionum curationis exempla S. Confessoris virtute patrata prolixitatis vitandæ causa præterimus.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM

De morbo Comitiali repulso.

ANte subleuationem Cinerum Diui Vincentij Deus ad eius intercessionem permulta est operatus miracula, vti supra monuimus, sed incuria Monachorum non sunt scripto comprehensa. Hæc ta-

tamen laminæ argenteæ circa ſarcophagum eius pendentes teſtantur, loco ſuo adnotauimus; ſed euoluendo diligentius omnia, hoc vnicum triennio & amplius, ante ſubleuationem eius patratum, hic inter Epilepticos curatos inſerendum putauimus. Quod eſt tale.

Anno *1630.* Nobilis Sophia Mlecka, febre maligna laborans, ſenſus ferè omnes perdiderat, ob morbi grauitatem cadaueri ſimilis epilepſiâ eam, à die Dominico, vſque ad veſperam feriæ quintæ abſque omni intermiſsione quaſſante. Quare conclamatum iam erat de ea: marituſque vicinis ac cognatis præ deſperatione cõuocatis, funeri neceſſaria apparabat. Cum interim Sacerdos quidam pius, Nicolaus Chrzelcicki inopinatò ſuperueniens, miſertus eius vicem, prouoluitur in genua, & quam Dominus noſtra ætate mirificè dignatus eſt, Diuum Vincentium

auxiliatorem aduocat; hortaturque omnes circumstantes ad recitandum secum Litanias deuotè, ad Beatissimam Virginem honorandam, ipse votum nuncupans comparituram cum deuotione ad tumulum Sancti Cõfessoris Andreouiæ, vbi primum sanitatem resumpsisset. Quod dum Sacerdos agit, decumbens in somnum interea suauem incidens, post duas ferè horas expergefacta sana, cibum postulauit. Refocillatisque viribus è lecto surrexit, & gratias Deo Præpotenti, cum dicto Sacerdote, pro obtenta incolumitate supplex reddidit. Tum triduo meliori conualescentiæ concesso, 29. Iunij ad tumulum Diui, cum munere se præsentauit, Hymnum Ambrosianum solenniter, ac Missæ sacrificium decantari curauit.

1633. Ioannes Secemski, ciuis Andreouiensis, filium suum febri maligna integra septimana laborantem, morboque regio cõ-

quaſſatum pro deſperato habens. Diuo eum Vincentio ſanandum commiſit, propinatoq; illi vino, de ablutione cinerum eius ſacrorum, die ſequenti poſt ſudores nocturnos ſanum & incolumen vidit, & ad Ædem Cœnobij Ciſtercienſis currens, cum gratiarum actione, apud loculum eius venerandum, ex voto eum præſentauit, atque tabulam argenteam in pignus & memoriam tanti beneficij lubens appendit.

Anno 1634. Dorothea Krowczyna per octiduum morbo comitiali quaſſata & mentis inops, D. Vincentij interceſsione ſanitatem obtinuit, vt primum collo illius particula panni de habitu eius ſacro fuit appenſa, adque tumulum eius ex conceptis verbis, die 20. Septembris penſum deuotionis exſoluit.

1634. Agnes Pilchowa, de villa Słupy, gemellos epilepſiâ laborantes Andreouiam

portauit, non ignara quomodo mirificauit Dominus Sanctum ſuum Confeſſorem Vincentium. Ad cuius loculum cum lachrymis 5. Febr. procumbens, vtrique à Deo ſanitatem impetrauit.

1634. Heduigis de Walkanowo fabri ferrarij vxor, filium paruulum epilepſia ferè iam enecatum, procumbens in genua Diui Vincentij tutelæ commiſit, & poſt fuſas ad Deum humili corde preces, ſtatim ſanum vidit, & ad Diui tumulum 16. Aprilis adduxit.

1634. Honeſta Roſa Kloſowicowna Scalmirienſis, puerum ſuum regio morbo debilitatum, & iam fatis deſtinatum, inuocatione D. Vincentij miraculosè ſanatum recepit. Vtque voto ſeſe obſtrinxerat, ad ſacrum eius ſepulchrum cum eo venit, Miſſas fieri procurauit, & ad perpetuum rei monumentum, laminæ argenteæ inſcribi acceptum beneficium iuſsit 16. April. Ia-

1634. Iacobus Paczowic ciuis Brzeźinenſis febri & epilepſia malè exagitatus S. Vincentium tantorum impetratorem miraculorum ſupplex inuocauit. Et promittens ſacrum eius buſtum in coram venerari, ſanus in poſterum ac benè valens vixit. Votum verò conceptum die 15. Martij Andreouiæ exſoluit. Dominus enim, qui facit mirabilia magna ſolus, eò amore quo hominem redemit à morte æterna, voluit quoque & à temporalibus miſerijs, interceſsione Serui ſui liberare.

1635. Agnes Porwilowa de Luborzyca, filium paſsionibus epilepſiæ ſubiectum habens, inuocatione S. Vincentij præmiſſa, & voto eum ſiſtendi ſe ad tumulum ſacrum eius, vino dē ablutione reliquiarum illius ad bibendum ei porrecto, ſanitati reſtituit, & vnà cum marito ſuo Andreouiam deduxit 12. Maij.

Anno 1635. Honesta Catharina Borkowska ciuis Crac: die quadam è templo rediens, Cardiaca primò, mox autem Apoplexia enecata, inter manus suorum concidit. Inter eiulatus itaq; domesticorum & turbationem mariti, quædam accurrens matrona vino eam Diui Vincentij respersit atque ori infudit. Quo degustato, velut è somno aliquo graui spiritum retraxit. Et pro beneficio accepto gratias Diuo reddere cupiens, ad sarcophagum eius venerandum, in rei memoriam tabellam argenteam vnà cum marito appendit, deque SS. Trinitate Missam solennem & Litanias de Beata Virgine decantari fecit. die 14. Maij.

Annò 1636. Dorothea Krowczyna de villa Szadek, filiam duodecennalem Epilepsiæ affectionibus subiectam, & quadam vice tota septimana quassatum, absque vlla sumptione cibi aut potus, Diui Vincen-

tij

tij patrocinio suasu vicinorum commendauit, votoque nuncupato, ac vino de ablutione exuuiarum illius sacrarum illi dato cælitùs sanatam & benè valentem, ad sepulchrum illius venerandum die 20. Septembris adduxit.

Anno *1637.* Laurentius aduocatus de Bobrza, accedens cum deuotione ad Ædem Andreouiensem Fratrum Cistercienſium die 8. Septemb. Anni 1638, præsentauit ex voto filium Albertum ad tumulum Diui Cõfessoris anno superiore, puta 1637. morbo Comitiali adeò laborantem, vt pro exanimi reputaretur ab omnibus, qui tamen vt primum fuit patrocinio Sancti cum voto illius ad sacrum sepulchrum commendatus conualuerat. Quod dilatum fuit hucusque ob curas domesticas, sed compensatum deuotione ardentiore, & monumento etiam in scripto Sodalibus loci relicto.

Anno

Anno 1637. Marina Gierczonka de Szydłouia octodecem annorum virgo, toto biennio comitiali morbo laborans, nimium miseros parentes contristauerat. Cum tempore quodam Venerabilis Stephanus Cynski actu Subdiaconus diuino planè nutu excitatus, vltro ægram visitauit, & vt ipse ad sanctum Vincentium erat deuotus, multa corã parentibus decumbentis tunc de gloria eius & miraculis piè locutus, persuasit vt ad sepulchrum illius filiam voto concepto sisterent. Interea verò temporis vinum illi propinarent de reliquijs illius sacratum, quod secum attulerat. Parent monitis mœsti parentes, & illa vt primùm vinum illud gustauit, confestim vegeta & sana facta, in posterum morbo illo nusquam turbata fuit. Dotumque nuncupatum die 20. Maij cum parentibus suis exsoluit. Sed quis potest & alia multa admiranda Sancti huius Confessoris beneficia,

Iste-

Ictericis, Spleneticis, Hecticis, Spasmoque laborantibus apud eius sacrum tumulum collata enumerare? quorum tanta est copia, vt referri omnia vix possint: opusque sit calamo scribæ illius velociter scribentis, qui virtutis suæ digito, in monte Sinari tabulas lapideas Moysi exarauit.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM

De Tabe & Hydropisi laborantibus.

VT absurdum semper putauimus ea loqui quæ nõ oportet: ita ea mandare silentio ex quibus mentes humanę erga sanctos deuotionem concipiant æque inconsentaneum esse arbitrati sumus. Res igitur Diui Confessoris Vincentij connotaturi statuimus tradere pijs auribus vt hydropicis benignus esse voluerit quotiescunque inuo-

catus ab eis fuerit ante & post translationem Lipsanorum suorum. Et ante quidem.

Anno 1633. Honesta Sophia Dzieb-dzina de oppido Andreovienſi tabe ac hydropisi consumpta morti se vicinam esse videns, testamento res suas ita disposuit, vt iam vltimum vale domesticis atque amicis suis dictura esset. Interim audiuit quendam ex circumstantibus Diuum Vincentium ingeminantem, cuius ossa nuper subleuata fuerunt: igitur voce illa quasi cælitùs missa excitata ad Monasteriuni vini parum rogitans quo exuuiæ sacræ Beati illius ablutæ fuerunt celerrimè expediuit sese eius patrocinio ardentibus interea votis ac precibus commendans. Adfertur vinum & datur illi bibendum cum reuerentia. Quod posteaquàm bibit eadem hora sanata mirificè, laudans Deum authorem salutis suæ veluti pōdere aliquo se esse leuatam assistantibus dixit die prima Iunij 1633.

Anno

Anno *1633.* Nobilis Anna Roznowa de Boleszyce Cathecticis & Arteriacis doloribus afflicta cum tumorem ventris in dies augeri animaduertisset facilè finem vitæ imminere sibi augurabatur. Audiens tamen de diuersis miraculis apud Diui Vincentij sepulchrum spe firma animum reassumpsit, eiusque patrocinio remotis Medicis sese cõmendauit, & sacrum eius tumulum visitare vouit. Cuius ope & intercessione breuiter è lecto surgens, promissum lubens & læta votum exsoluit, postque peractas gratiarum actiones tabellam argenteam cum tali subscriptione ad sepulchrum eius appendit.

Mira loci pietas, & prompta precantibus ara
Spes hominum placida prosperitate iuuat.

Die 19. Septembris.

Anno *1633*. Matthiæ Oeconomi Krzencecensis filius adolescēs hydropicus decumbebat, quem Parochus loci illius visitans Diuo Vincentio precibus calidè fusis commendauit promittens eum ad sepulchrum Diui præsentaturum vbi primum conualuisset. Igitur de veste illius sacra particulam panno sericeo inclusam collo ipsius appendit, & sacrum de SS. Trinitate ad intentionem recuperandæ sanitatis celebrauit, atque ita eum pristinæ sanitati restituit die 8. Septemb.

Anno *1633*. Sophia Golecka de villa Targowisko squinanciâ laborans in febrim acutam inciderat, exque inflammatione nimia linguam tumore fœtido infectam ac infertam humore habebat vt claudi non posset, hinc hydropis contagium per viscera serpere cœpit. Quare humanis opibus destituta ad cælestem medicum confugit, qui ei mentem inspirauit, vt vino de reliquijs S. Vincen-

centij ablutis linguam & corpus totum perungeret eiusque suffragia supplex inuocaret. Fecit misera reuerentiam erga eius sacra ossa promittens & die sequenti per omnia sana atque incolumis ad Diui sepulchrum perueniit Deo Omnipotenti qui sperantium in se semper complet vota, ore & corde toto gratias agens Sanctum eius Confessorem quâ par erat deuotione ac pietate extollens quod mortem certo tunc imminere putarant eius ope miraculosè euasisset. 27. Septemb.

Anno *1634.* Stanislai Przetacznik de Smogorzowo puer hydropi timpanitide intumescens, anhelus iacebat in lecto, vt autē vino de reliquijs S. Vincentij perunctus fuit, in spatio trium horarum ad pristinam sanitatem redijt sepulchrumque Sancti vnà cum Patre Ophthalmia laborāte & matre plicæ doloribus excruciatâ die 17. Febr. visitauit. Qui omnes voti sui cōpotes domum recesserunt, Diuina sic volente bonitate.

Caput Decimum Nonum.

De Plicæ doloribus leuatis.

NVllus profectò morbus ætate nostra plica grauior in Polonia inualuit qui omnem sexum, ætatem, & conditionem hominum ita suo malo implicuit, vt nè infantes iam ab hac contagie liberi esse possint. Olim huius pestis in Oriente mentio vix solis Medicis cognita fuit: tandem è Circassia in Gettas transijt: ab his Roxolani infecti & Daces. Patrum verò nostrorum memoria Pocucia Russiæ Rubeæ Prouincia propter aquas Tyræ malè audijt; quasi is per mineralia loca è carpato mõte decurrens inficeret suis vndis habitatores. Vitabantur igitur Halicienſis Terræ propter contagium istud incolæ communissimè. Tandem in

Rus-

Ruſsia vniuerſa diutina commoratio nocitra Polonis videbatur. Nunc permixtis iam omnibus inter ſe Sarmatiæ indigenis omnes promiſcuè iſtud malum inuaſit. Nec medellam vllam humanitùs inuentam admittit. Imò exarcebatur tanto magis: & alios excæcat, alios contrahit, alios inteſtinorum doloribus excruciat, alios in delirium vertit ob nimias capitis affectiones aut infectiones. Cælitùs igitur quæritur medicina, & cum multis in alijs locis ſanctitate venerandis ſolent miſeri homines ſuas conſolationes & ſanitatem quærere, tum apud loculum Diui Confeſſoris Vincentij, tanquam miraculorum theſaurum indeficientem, ex quo percipitur magna Spiritualis vtilitas, & variorum morborum ineffabilis planè curationis gratia. Sed præcipuè hic plica laborantes ſoſpitatem acquirere ſolent, vti tot nodi complicatorum crinium ad eius

Sar-

Sarcophagum appensi testantur. Ego certitudinis ergo aliquot hic exempla adnotabo.

Anno *1633.* Honesta Heduigis Szcerbionka plica laborans & vt fieri in tali morbo assolet omnium capitis membrorum cõuulsionem perpetiens suasu amicorum ad Diui Vincentij merita confugit, & sacrum eius tumulum visitare decreuit, vbi illicò benè sana & valens facta votum exsoluit Sacrificia Missarum fieri curauit, & tabulam argenteam vt posteris sit perpetua memoria appendit. Mensis Iunij 10. die Anno 1633.

Anno *1633.* Bartholomæus Pasternaczek ciuis Neokorczynensis filium suum plica laborantem ad Diui Vincentij sepulchrũ præsentans cum deuotionem suam peregisset, sanitatem ei à Deo Suffragatione Sancti Confessoris facilè impetrauit, vbi paulò antè alterum quoque filium suum Phtysi emorientem sanum receperat. Igitur Sacrificio incru-

incruento in laudem & honorem SS. Trinitatis procurato, post sacram Communionem sospes cum gaudio est regressus. 25. Octob.

Anno *1634.* Nobilis Elizabeth Ieżiorkowska filiam suam itidem Elizabetham ad tumulum Diui præsentauit, gratias agens quod eius interceſsione à Cephalea & plicæ malo fuerit liberata die 17. Ianuarij, cuiusdam vetulæ pauperrimæ oblatione ad sepulchrum eius visitandum voto obstricta. Quo vix emisso virguncula protinùs ab affectionibus illis malis liberata fuit.

Anno *1634.* Catharina Smigmatoris Miechouiensis vxor plica laborans pedumq; ac manuum dolorem & conuulsionem (vt malum hoc fieri solet) seu incuruationem perpetiens, vino de reliquijs Beati Vincentij corpus suum totum perunxit & Diui sepulchrum visitare statuit. Quare cælitùs restituta sibi sanitate votum maxima cum exultatione die 26. April. expleuit.

Anno 1640. Gregorius Rebiecki ciuis Racouienſis plicæ doloribus trium menſium tempore adeò excruciatus vt vim ſibi inferre voluerit, mortem potiùs præoptans quam adeò miſeram vitam agere. Die igitur quadam ſomnò dulciſsimo (qui toto morbi tempore longiſsimè ab eo præ doloribus aberat) præoccupata vidit in ſomnis religioſum quendam candido habitu, & de eiuſdem ſepulchro in ſecum colloquentem, vidit & imaginem ad ſiniſtrum latus in Choro templi maiore & Epithaphium ſcriptum ſub imagine ſe legiſſe tale omninò quale in rei veritate, deinceps in templo Andreouienſi oculis conſpexit. Poſtquam verò euigilauit nullum prorſus dolorem in ſe ſenſit, & ſurgens è grabato ſuo gratias imprimis Domino Deo, poſtea verò interceſſori ſuo Beato Vincentio reddidit. Atque Andreouiam Profectus ad ſepulchrum eius teſtimonium rei fa-

ctæ manu propria ſcriptum in Chartophylacio Monaſterij reliquit die 4. Iulij 1640.

Sunt complures alij apud Beati viri ſepulchrum reſtituti, quemadmodum teſtantur hinc & inde pendentia ad eius ſepulchrũ diuerſorum morborum inſtrumenta vel ſymbola: quibus conuincitur, quàm magna & ineffabilis ſit in Regis Æterni conſpectu Sanctorum gloria quorum animæ inter innumeras cæleſtium ſpirituum fulgent cateruas veneranda verò capita inter homines quieſcentia ab Angelis viſitantur & tandem poſt multa ſæcula elapſa admirandis ſignis ac virtutib9 in multorum populorum notitiam & venerationem veniunt & proſunt ſupplicantibus, coronante illorum meritò, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & potentia in ſæculorum ſæcula.

CAPVT VIGESIMVM

De parturientibus, auxilio Serui Dei VINCENTII, *in periculis adiutis.*

VT alijs in necessitatibus & periculis accurritur quotidie ad Seruum Dei Vincentium, ita & tempore partus vota concipere assolent puerperæ, eius intercessione securitatē à partus periculis obtenturæ. Ac propterea grauidæ vndiq; ad eius tumulum supplices accurrunt. Aliæ pro felici puerperio gratias Deo Præpotenti persoluunt, Dabo exempla aliquot, nam singulas enumerare esset longum.

Anno *1633.* Famatus Ioannes Osobiecki ciuis Andreouiensis vxorem suam grauissimè in partu laborantem vel potiùs animam

iam

iam vnà cum partu in ventre incluſo agentem auxilium à Domino Sancti Vincentij precibus interuenientibus poſtulauit & tempeſtiuè exauditus manum adiutricem ſenſit. Illa enim quæ doloribus deficiebat & tàm de vita ſua quàm fœtus in vtero incluſi deſperabat amicorum monitu. Sumpto vino illo quo oſſa Diui fuêre abluta partum abſque vllo dolore enixa eſt. Cuius rei teſtem tabellam ad ſepulchrum Diui argenteam vt poſteris ſit perpetua memoria appendit die 20. April.

Anno 1633. Honeſti Adami Rogowſki Cracouiæ habitantis coniunx partu difficili laborans, ſumpto vino de ablutione reliquiarum Diui Vincentij filium quidem feliciter enixa, aſt ipſamet clauſis in vtero membranis quibus partus inuoluebatur ex putrefactione earum malè habere cœpit, nec ſuperuiuere poſsibile erat opinione medicorum atque

prudentium ea in re matronarum, nisi auxilium de super adueniret. Pater igitur decumbentis honestus Alexander Kawadźi Bononiensis, audiens quanto honore Seruum suum Vincentium, Dominus in cælo ita extuliſſet, vt ad eius suffragia mira in terris patrare non desistat, prostratus terræ immensis singultibus inuocat Christum vt defficienti doloribus filiæ suæ mittat opitulatorem Beatum Vincentium, quem illa electum in patronum perpetuò veneraretur & sacrum eius tumulum visitaret. Audijt Numèn Æternum, & illa agonizans petijt à circumstantibus sacerdotibus laterculum è sepulchro eius sacro capiti suo supponi spem firmam in animo habens statim putredines illas effusum confirmante eam in præposito Patre Francisco Nouoskurski. Factum quod postulauit, miraculosè & subsecutum quod sperauit, nec mora sana & sospes ad Diui sepulchrum

pro-

properauit, & tabellam, rei ſeriem continentem, è meliori metallo ad tumbam illius appendit 8. Auguſti.

Anno 1634. Ioannes Drobiecki ciuis Andreouienſis vxorem ſuam in partu periclitantem Diuo Vincentio commendauit, vinumque ei bibendum de reliquijs illius propinauit. Quo guſtato partum feliciter enixa, apud tumulum eius gratiarum actiones reddidit, & tabellam argenteam appendit.

Anno 1634. Nobilis Ioannes Olſzewſki cum vxore ſua Catherina Mazowiecka venientes ad ſepulchrum Diui Vincentij palàm confeſsi ſunt & in ſcripto teſtimonium reliquerunt, Quod tempore quo vterum illa geſtaret fuiſſent in itinere ambo in partibus Maſouiæ. Periclitanteque in partu vxore ſua & nimium laborante, ille ipſe procumbens in terram votum ad ſepulchrum Diui Vincen-

centij venerandum fecit. Hinc parturiens doloribus soluta filium mox enixa est & ad diuersorium benè sana ac viribus firma peruenit. Domumq; reuersi filio nomen Francisci in lauacro Baptismi imposuerunt & votum promissum deuotè exoluentes vnà cum infante sepulchrum Diui iuuisernnt Anno 1634 die verò 20. Decemb.]

Anno *1636.* Nobilis Dorothea Boianowska de Zawada partu laborans vt Diuum Vincentium inuocauit, filium feliciter peperit 9. Aprilis, remotisque eius ope doloribus omnibus sepulchrum eius sacrum sospes invisit vnà cum Nobili Elizabetha Krasicka de Pelesnica in casu simili tempore eodem à sancto Confessore adiuta. Dum enim salutis remedium in periculo simili positæ à Beato Vincentio postularent, vtramque sub momento curauit.

Anno

Anno 1637. Anna de villa Boleſſaw propè Corczynum Organarij vxor partu difficili laborans cum partum exanimem in lucem edidiſſet præ dolore & mœſtitia quaſi extra ſe poſita ingenti voce. Adiuua me Beate Vincenti adiuua rogo, clam are cœpit. Quo clamore velut è ſomno excitatus infans ploratum ſtatim emiſit, accurrente tota vicinia ad rei miraculum. Quare & in Baptiſmo nomen Vincentij puero inditum fuit, vt ſi viuere eum contigiſſet tota ſua ætate Diui Patroni beneficium recognoſceret, ſin verò aliter in Fatis eſſet (caput etenim diſruptum habebat) gratior in conſpectu Diuino, patrocinante pro alumno ſuo, ſancto Confeſſore cõpareret. Et ita factum poſt diem ſeptimam elapſam cum natus fuiſſet die 30. Iunij.

Anno 1638. Similiter Staniſlai Olſzewſki coniunx grauida, vnà cum marito votum ad Diuum Vincentium facêre Cuius

ope puerpera partum feliciter enixa tabellam argenteam per Paulum Zyſzka Plebanum Złotnicenſem ad ſepulchrum Diui Scarbimiria miſit. 4. Octob. 1638.

Anno 1638. Nobilis Sophia de Krzyſztoporzyce Lipſka Vexilliferi Terræ Sochaczouienſis vxor, in partu periclitans ad opē Diui Vincentij confugit. Quem vt ingeminauit languor omnis vt fumus euanuit, illaq; deſiderij ſui compos facta, teſtem ſuæ liberationis tabellam, cum epiſtola manu propria ſubſcripta, ad tumbam illius appendendam tranſmiſit, vbi vſque in præſens diuinâ operante gratiâ plurima per eius interceſsionem puerperæ beneficia & partum facilem à Deo Opt. Max. impetrant, ſperantque ſe compotes fore ſalutis.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM

De Sanatione, alui profluuium, Stanguriam aut Calculum passorum.

ET si multa admiranda in vita & post mortem Seruus Dei Vincentius fecerit per quæ memoria nominis eius superuiuat: tamen quia operibus eius ac meritis etiam hæc prærogatiua debetur, vt curatio, alui profluuium, stranguriam, aut calculi dolores passorum eius intercessione obtenta in literas dirigatur, placuit summatim pauca exempla conscribere: non quod aliquem Catholicorum in Polonia lateat tanti Pontificis vita, & apud Deum merita, sed vt ad posteros quoque nostros incomparabile nomen sanctitatis, & grande documentum religiosè humilitatis in immortalem memo-

riam porrigatur. Sufficient nobis duo vel tria exempla, sed quorum euidens est testimonium & veritas inconcussa.

Anno 1633. Andreas Roszkowic ciuis Wodzislauiensis quinque hebdomadis Thenasmon & alui profluuium passus, cum intestinorum nimio dolore excruciatus deficeret, iamque de vita desperaret, amicorum monitu, visitato sepulchro Diui Vincentij cum deuotione, sumptoque vino de ablutione reliquiarum illius sanitatem obtinuit. 26. Augusti.

Anno 1633. Nobilis Anna Czechowska calculi in vesica aut renibus enati cruciatibus multo tempore tormentata, cum nullum à medicis subsidium inueniret ad Dei ipsius opem mediante Seruo eius Vincentio accurrit, & sanitatem breui prece apud sepulchrum eius impetrauit procurato Missæ Sacrificio de SS. Trinitate decantato. Igitur

bene,

beneficij memor, laminæ argenteæ quam ad parietem tumuli appendit rei factæ ordinem inscribi iussit die 5. Septemb.

Anno *1634.* Honesti Nicolai Dukla ciuis Miechouiensis vxor febri acuta & dissenteria laborans, per exemologesim præparata, fata sua anhelans expectabat. Maximoperè etenim eam atterebat æstus in frigore, & horror cibi languente stomacho: Cum interim maritus inuocatione Beati Vincentij curari morbos diuersos inaudiens sacrum eius tumulum, visitare flebiliter deuouit. Quæ vbi repulso morbo & debilitate sanam se illicò & benè confirmatam sensit, ad Diui sepulchrum venerandum vnà cum marito lubens & læta processit, redditisque gratiarum actionibus 2. Septemb. domum sospes & incolumis redijt.

Anno *1638.* Thomas Cebula de Oppido Iwaniska magna infirmitate debilita-

tus, cum à Doctoribus medicis pro incurabili iudicatus, fuisset derelictus, & humi de more deuotè plebis prostratus calculo premente vitam exhalaret Voto facto ad sepulchrum B. Vincentij protinùs conualuit, & die sequenti per omnia sanus factus itineri se accinxit visitauitque Monasterium Andreouiense die 30. Maij anno 1638.

Caput Vigesimum Secundum.

De Incendio, Serui Dei ope, exstincto.

QVi lenocinia malè blandientis mundi tam constanti calcauit animo, vt nudus credatur euolâsse de sæculo B. Vincentius Kadlubkonis Episcopus Cracouiensis translatus ad gloriam cælestem, tam magna & mira in hominibus sua impetratione operatus est, vt magnitudinis eius contem-

platione considerata, imparem me esse confitear prosequi calamo pro meritorum honore tam grandia nostra ætate ab illo miracula edita Quorum non postremum illud est, quod ignis elemento imperitauerit virtute sibi ab illo igni inextinguibili & omnia consumente Christo Iesu concessa.

Anno 1634 Oppidum Chencinense vt totum est more nostro Polonico è lignis exstructum, immanis flamma tempore quodam corripuerat nec potuit quisquam vllum tanto malo afferre remedium, elemento in sicca ligna vehementer sæuiente. Tum vxor illius muratoris Sebastiani Fodiga qui sepulchrum Diui Vincentij Andreouiæ, aperiebat, habens laterculum de sepulchro eius sacro, vniuersam turbam hominum ad Diui opem implorandam clara voce concitat, vir Dei, vir Dei, succurre ciuitati cum ignibus colluctanti, & hæc dicens, laterculum illum

ma-

magna cum fiducia in ignem mittit. Res mira ignis cunctis inspectantibus statim recedere cœpit, & mox totum sopitum fuit incendium, per multis prægaudio fluentibus & Christum in suo Cõfessore laudantibus quod tantum miraculum in oculis infidelium Iudæorum fecerit. 17. Iulij,

Crescente verò interim fama, Sanctitatis illius & longè lateque peruagante, ne tanti luminis fulgor absconderetur sub modio, sed vt secundum dicta veritatis, supra candelabrum posito illi, multi ab eo illuminarentur, famatus quoq; Martinus Fabrowic Anno 1634. ciuis Clobucensis incendio in patria sua oborto, remedio eodem quo & Chẽcinenses ciues, id est, protectione Diui Vincentij vsus vinum de ablutione reliquiarum eius, cum lagena simul, in ignem proiecit, Diuumque in adiutorium miseræ ciuitati inuocauit, & statim flammæ vehementiam

post

post fusas preces sopiuit, incendiumque exortum miraculosè exstinxit. Proquo beneficio, gratias apud eius sacrum sepulchrum, vnà cum vicinis suis, Domino Deo peragens die 7. Septemb. hoc quoque factum suum, subiureiurando Fratribus Cœnobij narrauit.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De præstigijs maleficarum atque veneficijs repulsis.

QVoniam ij quibus placet, viuere citra reprehensionem, maximè oppugnantur à malignis insidijs, proinde mirari non debet Christianus homo quod coniuges sæpissimè vicissim sibi honorem tribuentes & beneuolè ac fideliter inter se affecti in terdum incidant intentationem &

cassesdiaboli, cum nemo sit qui non appetatur inimici huius insidijs, maximè autem illi qui nullis turpibus immixtum desiderijs animum gerunt. Quare inuidens honestati eorum submittit instrumenta sua, fagas, lenas, præstigiatores maleficos & magos, per quos ad præuaricandum legem Diuinam rectos corde inducere studet. Qui dum non proficiunt virus malitiæ emittit & velut in Iobum Sanctum vlcera postulas, Herpetes, Alopeciam, Lentiginem carbunculos, diuersaque alia apostemata & morbos veneficio suo immittit. Sed quæ omnia nocere nobis, nisi Deo pro peccatis permittente, minimè possunt, repelluntúrque tunc, cum nostri velut misereri, aut emendationem vitæ nostræ videt.

Sed frustra has insidias molitus est aduersarius in honestum Andream Słaboszowski ciuem Pinczouien: vnà cum vxore sua

tota

toto ſexennio corporis quandam exulcerationem ſeu Herpetes perpetientes, ſecus enim euenit totum in coniugio illo, quam ipſe imaginabatur.

Anno etenim *1634.* Crebreſcente in dies fama miraculorum ad ſepulchrum viri Dei Kadłubkonis patratorum, procurarunt in primis vinum de ablutione reliquiarum illius, deinde expiatis ſceleribus ſuis per ſacram Confeſsionem atque communionem Synaxeos illud cum reuerentia & deuotione biberunt ſperantes ſalutem à Dño, quam pauciſsimas intra horas conſecuti ſoſpites & mundi facti ſunt glorificantes Deum in Sancto eius Confeſſore Vincentio cuius ſepulchrum cum deuotione protinus viſitarunt & gratiarum actione peracta. laminæ argenteę rei factura inſcribi procurarunt, & appenderunt die 24. Iulij vbi multi homines morbi-

di in præsentem etiam diem optata salute potiuntur.

Anno 1633. Honesta Marina Papiesska Andreouiensis à pueritia malignitate sagarum in morbos diuersos inciderat, Alopeciamque, Lentigines, atque postulas, toto corpore veneficio illarum sparsas, magna cum molestia sua perpetiebatur, nullis medicamentis proficientibus. Postquam verò innotuerat gloria Diui Vincentij, illa quoque ad sepulchrũ eius accurrẽs, de vino illo bibit, quo sacra eius Lipsana abluta fuerunt: & statim sanitatem in corpore & animo obtinuit, male à se factorem culpam deplorans 24. Augusti, & hymnis glorificans Deum qui laudabilis & glorioſus est in sæcula.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

De morsu viperarum per D. Vincentium sanato.

INter alios morbos à S. Vincentio sanatos, etiam colubri morsus & insectorum venena, à reliquijs illius euanuerũt, & vel solo attactu ab infecti depulsa sunt, tam præclaro signo Domino eius sanctitatem demõstrante.

Anno siquidem 1634. Clemens Koscielski vná cum coniuge sua Marina præsentarunt ad sepulchrum S. Vincentij Virginem quandam seruientem in domo sua & gratiarum actiones pro ea fieri curarunt quod intercessione inclyti Confessoris fuerit á morsu colubri cuius pedem mortifero in prato quodam herbas colligentem pupugit & ita

veneno infecit vt intra spatium vnius horæ virulentia per totum corpus sese diffundente intumuerit sanitati fuit restituta, per terræ è sepulchro Beati Vincentij particulæ sua vino madefacto loco affecto applicatæ, ab eodem Clemente Koscielski & ad tumulum eius sacrum incruenta sacrificia fieri promittente. Etenim post hoc votum emissum puella doloribus liberata post fusas preces ad Deum in somnum prolapsa die crastina sana & incolumis surrexit adque Diui sepulchrum veniens magnalia Dei loquebatur.

Anno 1634. Anna Loinakowa de Przybysławice, gramen colligens à serpente calcato morsu percusa venenoso valdè sed vino de ablutione reliquiarum S. Vincentij, à ferrifabro Rogouiensi impetrato, manum virulentiâ veneni tumescentem perunxit, illa à morte præseruata atque optimè sana ad Diui sepulchrum cum munere & gratiarum actione pernenit 20. Ferb. An-

Anno 1634. Sophia Marciſiowa de Skroniowo, Apoſtema diu in pectore cancerатum gerens Diui Vincentij vino perunxit, & craſtina die ſana facta ad ſacrum eius tumulum glorificans Deum die 17. Aprilis acceſsit, & ſana ad propria remeauit.

Anno 1634. Catharina Baranowa de villa Rogow filiam ſuam ex colubri morſu venenoſo tumeſcenti inuocato Diui Vincentij nomine laterculoque de ſepulchro illius in puluerem redacto & vino madefacto, digito læſo applicato, & ex auitæ periculo exemit ac illam ſaluam ad Diui tumulum præſentauit 25 Maij.

Anno 1636. Albertus Zapart de Chorzewa inſecti cuiuſdam morſu venenoſo intumuerat totus, cumq; nullum medicamentum prodeſſet Diui Vincentij tutelæ ſe commiſit & vt primum laterculum de ſepulchro illius contuſum, loco arroſo applicuit cura-

tio-

tionem obtinuit. Die igitur 13. Maij Andreouiam veniens apud sacrum eius tumulum Gratias Deo Præpotenti submissas reddidit.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

De variorum morborum curatione, per Seruum Dei Vincentium; patrata.

INfinitum esset speciatim quosuis morbos virtute Sancti Confessoris sanatos enumerari præsertim cum ad eius exuiarum translationem multa è vicinis pagis confluxisset turba curationem in suis infirmitatibus eius suffragatione à Deo salutis authore postulans. Generatim igitur comprehendemus in hoc capite quotquot innominatis vexati morbis ex vino, quo sacra eius ossa abluta fuerunt cum fiducia gustarunt & sanitatem obtinuerunt. Et in primis. An-

Anno 1633. Statim à ſubleuatione Lipſanorum Diui, Nobilis Thomas Brzeźniawſki de familia Illuſtriſs. Antiſtitis Remigij Koniecpolſki Epiſcopi Chelmeñ & Abbatiæ Andreouienſis, Adminiſtratoris nimio dentium dolore diſcruciatus ad Diui Vincentij opem cõfugit, & procurato Miſſæ ſacrificio pro peccatis ſuis tabellaque argentea in ſignum accepti beneficij ad ſepulchrum eius appenſa illicò ſe ſenſit doloribus liberatnm die 8 Frebruarij.

Anno 1633. Nobilis Sophia Grzywinſka, diuerſis affectionibus morbisque debilitata cum nullum in medicina remedium inueniret ad Beati Confeſſoris Vincentij patrocinium confugit. Hauſtoque parumper de vino quo ſacræ eius reliquiæ ablutæ fuerunt, ſtatim vires recepit Deumque in Sancto eius vt par erat mirificè collaudãs omnes

vicinos suos nõ domesticos modò compulit exultare in Domino, & gratias agere.

Anno 1633. Benedictus Kosicki ciuis Andreouiensis Scyathicos dolores per multos dies passus vt vinum ab ablutione reliquiarum Diui Vincentij hausit, incolumis statim euasit Mense Maio die 27.

Anno 1633. Tempore eodem & Albertus Mazan vicinus & conciuis eius, filium suum Albertum morbo grauissimo decumbentem & iam deploratum vt Diui Vincentij patrocinio commisit, ad cuius tumulum orantibus quotidie præstantur à Domino immensa beneficia vbi & illo supplex ad crucifixi imaginem filio sanitatem impetrauit. Tacto siquidem & osculato beati tumulo pristinam recipere sanitatem meruit extemplò, & sacrum Missæ officium in honorem & laudem SS. Trinitatis decantari procura-

cura-

cũrauit arrhabone ex voto ad Diui ſepulchrum appenſo.

Anno *1633*. Honeſta Magdalena Chudźikowa acerrimo correpta morbo cum diutius torſiones ventriculi ſufferre nequiſſet ad ingrediendum viam vniuerſæ carnis ſe reſq; ſuas iam diſpoſuerat cum tum vicinorum ſuaſu ad Diui Vincentij opem confugiſſet, bibiſſetque è vino quo ſacra eius oſſa abluta fuêre eadem hora ſanitatem obtinuit, templumque Ciſtercienſium adijt, & gratiarum actiones Deo Sanctoque Vincentio reddidit Menſe Iunio die 5.

Anno *1633*. Honeſta Anna Bożyczawſka filiam ſuam paruam anniuerſario morbo laborantem linguamque exertam adeò tumidam geſtantem. Vt ore claudi non poſſit, precibus Diui Vincentij & meritis commendata madefactaq; lingua eius vino, quo reliquiæ Sancti ablutæ fuerunt ſubito cura-

uit: & vnà famulam ſuam graui totius corporis dolore ac debilitate affectam. Quapropter cum ijs ſepulchrum Diui adijt & mnemoſynon beneficij accepti tabellam argenteam appendit. Sacro de SS. Trinitate decantato.

Anno 1633. Benedictus Koricki Ciuis Andreouienſis Scyathicæ doloribus oppreſſus, guſtato vino de ablutione reliquiarum Diui Vincentij conualuit, & primum in oppido in Eccleſia Parochiali Clero conuocato gratias Deo reddidit, poſteà tumulum Diui 28. Maij veneratus eſt.

Anno 1633. Nobilis Martinus Lipnicki filium ſuum variolarum poſtulis malè affectum ad Diui Confeſſoris ſepulchrum vouit, & die 16. Octob. ſanatum præſentauit glorificans Deum, vt tabula argentea ſua inſcriptione atteſtatur.

An-

Anno. *1633.* Bartholomæus Paſternaczek ciuis Neokorczynẽſis filium paruulum phtyſi laborantem & iam omninò exanguem vino de reliquijs S. Vincentij in os eius infuſo à morte liberauit, & ſanitate priſtina redonatum ad tumulum Diui ſtitit die 20. Octobr. ipſe cum vxore ſacro pœnitentiæ Sacramento expiatus gratias pro beneficio obtento religiosè decantans.

Anno. *1633.* Staniſlaus Krzywinſzczyk ciuis Wodźiſſauienſis filium habens à natiuitate diſtortum & compage neruorum carentem vt audiuit de ſubleuatione cinerum Diui Vincentij ad quorum tactũ multi ægri ſanantur, perrexit & ipſe ad eam ſolennitatem filium verò cum matre curru vehi iuſſit. Ingreſſus templum Cœnobij Andreouien: & vinum puero de ablutione cinerum Diui bibendum dedit, mox compactis neruis ſepulchrum Diui circumeuntem vidit.

Igitur ſacra in gratiarum actionē peragi curauit & puerum è cera effictum inter alia teſtimonia collatæ per ſanctum Confeſſorem beneficentiæ religiosè poſuit.

Anno 1634. Honeſti Chriſtophori Weſoły ciuis Małogoſcenſis puer tertium iam annum decumbens, per totam ſeptimanam vſu loquellæ caruit nihilque penitus illis diebus cibi aut potus ſumpſit, ſed aſsiduè agonē agere videbatur. Mœſtus parens quod nec viuum poſſet habere nec mortuum ſepelire, die Dominico audiens pro more Sacrum Miſſæ officium, Diuum quoque Vincentium inuocauit promittens filium ſi eius ope ſuperuixerit ad ſepulchrum illius præſentaturum. Matre cum filia ad lectum moribundi aſſtantibus alba columba per foramen fractæ feneſtræ intrans, ter puerum illum capite inclinato circumuolauit & per eandem vitri fracturam abiens, omnes domus feneſtras

ſtras ita concuſsit, vt tremere per notabile ſpatium viderentur. Puer interim ſurgens rogauit dari ſibi cibum atque potum, quo refocillatus lætus lætum parentem à templo redeuntem ſalutauit. Atque vna omnes ad Serui Dei tumulum die 4. Iulij peregrinationem ſuſceperunt refectiq; ſacra ſynaxi magnificabant Deum qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis.

Anno 1634. Andreas Muſzka de Wſoſczowa, arbores in ſyluis excidens baiulansq; nimium adeò vehementem conuulſionem inteſtinorum ſenſit, vt ſanguis ore illius naſo, auribuſque ſtatim proruperit, & quod mirabilius audias, latere dextro guttatim ſudor ſanguineus ſtillaret. In grauem igitur morbum prolapſus quid aliud quàm mortem expectare debuerat. Cum interim pij homines Diuo eum Vincentio commendantes ad ſepulchrum illius peregrinationem ſubitu-

rum

rum destinarunt, & vino de reliquijs eius potum lecto superposuerunt sanitatem illius magna cum fiducia præstolantes. Qui miraculosè consurgens sospes & valens itineri se accinxit & votum promissum die 20. Iulij exsoluit.

Anno 1634. Mulier quædam nomine Sophia Kucharzowa de oppido Andreouiensi, intestinorum cruciatibus laborans, vinum de ablutione Cinerum Diui Vincentij hausit, & omnem dolorum molestiam protinùs euasit, & ad sepulchrum Diui accurrēs gratias Deo Præpotenti reddidit & tabulæ argēteæ obtentum beneficium inscribi iussit.

Anno 1634. Bartholomæus Gruszka propè Chenciniam habitans grauiter ab aduersario in caput percussus vsū loquendi amiserat doloribusque oppressus iam iam animam exhalabat. Cum forte fortuna domū ipsius Cistercienses Monachi è Cœnobio

An-

Andreouienſi aliquorſum tendentes tranſirent. Quos conſpicata vxor ipſius clamitare cum lachrymis ingentibus cæpit, velint ex Chriſtiana pietate morientis animam Domino Deo commendare, vel ſi aliquo modo iuuare poſsibile laboranti in agone aliquod ſubſidium vitæ ferre. Fratres lachrymis & affectu moti deſcendunt in domum morientis. (erat is prior Couuentus cum ſocio ſuo) & nullam aliam rationem iuuandi habentes Diuam Virginem Sanctumque Confeſſorem Vincentium in auxilium vocant. Quod moribundus audiens, ſtatim prolocutus eſt & Diui tumulum ſe viſitaturum cum deuotione promiſit: atque ex eo deinceps conualuit; & ad eius Sarcophagum tabulam argenteam arrhabonem percepti beneficij venerabundus appendit 25. Iunij.

Anno *1634.* Heduigis Kozuſzkowa fieliſmo laborans nec cibum nec potum de-

glutire valuit, arteria aspera ita inflammata & constricta, vt ab inedia mortis periculum immineret. Igitur sumpto cum deuotione debita vino de ablutione ossium Sancti Vincentij, sanitatem inopinatam obtinuit, Atque Diui sepulchrum post expiationem delictorum signum beneficij obtenti ceræ impressum venerabunda reliquit.

Anno 1634. Regina Pazdzierowa ciuis Miechouiensis cum curru in præcipitium cadens manum dexteram in partes aliquot confregerat, atque periculosè ægrotabat. Igitur voto ad Diui Vincentij sepulchrum facto, celerrimè conualuit, & in signum gratitudinis manum argenteam ad sacrum eius bustum appendit. 8. Martij.

Anno 1637. Nobilis Susanna Koweska Generosi Alexandri Koweski Vicecapitanei Zatoriensis filia, octo annos nata, graui ac diuturno morbo excruciata, & cum eiu-

latu

latu continuo torsiones stomachi perferens nec malum superare valens iam ad limina Fati properare videretur. Cũ interim acceitus Venerabilis Pater Valentinus, Parochus loci, vt eam ad mortem disponeret & Sacramentis ritu Catholico præmuniret, vt erat ipse deuotus erga, Sanctum Vincentium Confessorem: ita & parentibus illius suasit, offerre eam in protectionem & patrociniũ huius Diui. Assenserunt mœsti parentes, & filia subitò cum admiratione omnium pristinæ valetudini restituta est. Cuius nomine tabulam idem prædictus Parochus tanquam testis oculatus ad sepulchrum Beati Vincentij appendit 1637 die verò 27. Iulij. Cui hæc coram Fratribus Cœnobij ex fide referentibus addebat authoritatem tum modestia eius & facies canicie veneranda tum lachrymæ ab immenso animi gaudio expressæ.

Anno 1637. Alexander Liczko de Owczary in itinere lapsus cum equo, grauiter concussus ægrotauit, idque longò tempore satis. Ab vxore igitur voto obstrictus visitare tumulum Diui Confessoris Vincentij Kadłubkonis paucos intra dies conualuit, & cum consorte sua simul Andreouiam veniens gratias Deo pro recuperata sanitate reddidit, & in gratitudinis signum tabulę argenteæ hoc beneficium inscribi curauit. die 1. Februarij.

Anno 1635. Nobilis Gaspar Bystrzonowski itineri se accingens morbo inopinato de nocte correptus ac spatio aliquot horarum conflictatus tandem ad extremum vitæ deuenerat terminum non modò loquella sed sensibus insuper omnibus & pulsu venarum amisso, vxor mœsta, Lelouiâ Chyrurgos aduocat, remedia adhibet. Et cum non proficiunt, sacerdotem Venerabilem Patrem

Alber-

Albertum Karſniczam Vicarium Lelouienſem adducit, qui extremam vnctionem ſi reſpiraſſet adhiberet, atque animam è corporis ergaſtulo abeuntem precibus Diuinæ maieſtati commendaret. Adeſt ille & precibus adhibitis ritu Catholico ſpiritum auolantem proſequitur cum interim Nobilis Catharina Pawłowſka, mater vxoris moribundi Byſtrzonowſki accurrit, electuaria quæ probatiſsima habebat adhibet & cum minimè proficere videt, Sectæ Lutheranæ, fœmina Diuum Vincentium religiosè inuocat, eiusque tot miracula patrata vel nolens & non credens deprædicat modo vt generum ſeruet. Cuius inopinata pietate filia mota marito in aurem inſuſurrat, velit nomen ſalutare IESVS ingeminare antequam ex hac vita migraret. Exclamat ille clara voce IESVS, & rogat nè ſe dulciter dormientem impediant, euigilaturum vbi

satis somno indulserit. Cõmendant eũ interim omnes assitates D. Vincentij patrocinio, & post duas horas sub vesperam expergiscentem interrogant quid actum fuerit cum illo. Qui per omnia sanus factus, vice versa quærit ab illis, quid velint à dormiente, cur sacerdotes, medicos, & tot luminaria adhibuerint. Tum narratur illi tempus ægritudinis eius modus adhibitorum remediorum, & vitæ desperata salus, nisi hæretica mulier Diuum Vincentium ingeminâsset. Quo intellecto; seriò pro peccatis dolens, sepulchrũ Diui Vincentij maxima cum deuotionè inuisit crimina exemologesi sacra expiauit, & gratijs, gratibusq; Seruo Dei præstitis. 11. Nouemb. supremum numen glorificans, domũ sospes redijt.

Anno 1638. Nobilis Virgo Leonora Tengoborska voto facto ad sepulchrum Diui Vincentij subito è magno valetudinis suæ

peri-

periculo conualuit quæ tota miserè contracta nullo pedum manuumque officio vti poruit, varijsque affectionibus & doloribus diuexata fuit. Igitur beneficij memor ad imaginem Diui tabellam argenteam cum scriptione rei factæ appendendam misit die 24. Martij.

Anno *1640.* Duo Fratres Ordinis Cisterciensis è Monasterio Sczyrzycensi Pater Iacobus, & Frater Valerianus in morbi grauitate è medicis derelicti consensu superiorum suorum fecerant votum visitandi monumentum Diui Vincentij, cuius intercessione pristinæ sanitati sunt restituti. Vt igitur redderent vota facta, cum literis sui Superioris Fratris Martini Pawlikowski & licentia Abbatis se Andreouiæ præsentarunt die 27. Iuij 1640.

Anno *1640.* Nobilis matrona Elizabeth de Bystrzeiowice Zaborska per biduum coli-

colicos dolores & ilei inteſtini cruciatus paſſa erga beatiſsimum Vincentium Kadłubkonem magnâ animi deuotione concepta, fleuit largiter & votum Domino nuncupauit viſitaturam ſe Sarcophagum eius. Interea verò hauſto vino de ablutione oſsium eius ſacrato indulcem ſomnum prolapſa per aliquot horas ſuauiter dormiuit. Atque tandem euigilans cibo corpus debilitatum refici à circumſtantibus petijt, protinusque reddendarum gratiarum actionum cauſa pro obtenta ſanitate in viam ſe dedit. Cumque 2. Ianuarij ſacrum eius ſepulchrum honoraſſet hymnis & glorificationibus priſtinam ſanitatem totaliter obtinuit.

Anno *1640*. Nobilis Sophia Morſka de Zagaiowo propè Viſliciam habitans per duos annos. Hecticis Aſthmaticis Lientericisq; doloribus excruciata poſt tot in vanum ſumpta medicamina doloribus ad extre-

tremùm oppressa vsum loquellæ perdidit. Cumque desperatæ iam salutis esset, ignota omnibus fœmina quædam aduenit & Diui Vincentij nomine ingeminato inter tumultuantes domesticos nescitur quo abijt & vnde fuerit. Hæc verò quæ infirmabatur ad nomen Vincentij loquellam miraculosè statim resumens, seque celeberrimum eius tumulum adituram deuotè obstringens protinus sanam & saluam sensit Andreouiam iter suscepit gratiarumq; actiones solennes cum hymnis & incruento sacrificio die 12. Iunij peregit.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

De Suscitatione Mortuorum.

SIc glorificat Christus D suam maiestatem puro corde in hac vita glorificantes illis quibus maiorum miraculorum, quã

ipſe in terris conuerſatus fecerit virtutem impertitur. De illo enim in Euangelio legimus quod tres ſolummodo ad vitam mortuos reduxerit ex eius autem diſcipulis complures numeramus qui vltra triginta ad vitam reuocauerint defunctos. Sed quos inter & Vincentius Sanctus non minus viuis quam defunctis compatiens compluribus vitam redonauit, præſtante hac in parte largius quam alijs gratiam Chriſto Ieſu Saluatore noſtro qui ſuæ diuinitatis vim per Seruos ſuos fideles vt vult exercet, & quantum vult pro ſua bonitate, ſanationum dona tribuit.

Anno igitur 1594. Infans agricolæ cuiuſdam de villa Mokrſko dicti Wrobel, à matre propria baiulatus & per interuentionem negotij cuiuſdam relictus inanimaduertenter decidens in aquas ſuffocatus fuit. Nec mater animaduertit niſi poſt duas, aut amplius

ûs horas curis distenta domesticis. Igitur in lachrymas & eiulatus prorumpens infantem humi positum cum tota domo Diui Vincentij patrocinio commendat, plenaque spei & vitæ infantis secura die sequenti Andreouiam pergit, positumque ante altare Christi Crucifixi in medio chori Diuum Confessorem toto pectore inuocat, Dominumque Iesum pro sua simplicitate cordis rogat, velit Serui sui gloriam manifestare atq; eius precibꝰ puerum sibi rediuiuum redonare. Quod dum orat infans inuagitus prorumpit in præsentia tot hominum & Fratrum Sodalium Cœnobij Andreouiensis præcipuè verò Patris Iacobi Iasinski Prioris Conuentus. Qui seriem rei in Diarijs domus connotare iussit.

Anno *1633.* Laurentius Ioachimus ciuis Andreouiensis quatuor filios habebat Simonem iam adultum, Adamum verò Ioannem, & Iacobum, minorennes, iusserat

itaque natu maiorem præparare argillam pro vsibus domesticis, quam ille humi effossam curru conuehebât in prædium, fratres natu minores vti puerorum mos est sequebãtur currum ludentes; Tandem fossam subintrarunt & domunculas ex argilla plasmabant, cum interim humus nimium suffossa desuper cadens oppressit omnes ludicro occupatos. Post horam autem elapsam aut ampliùs redit cum curru natu maior frater qui argillam deuehebat, & videns hiatum montis terra coopertum fratresq; ibi ludẽtes non comparere, curru relicto & bobus ad Patrẽ ocyssimè properat, nuncians fratres montis ruinâ esse oppressos, & quos tot viri robusti defodere vix valeant. Consternatus Pater, citissimè conuocatis cum ligonibus rusticis properat ad eliberandum sobolem suam terræ hiatu oppressam. sed ecce videt nimiam humum proruisse in eos vt vanus sit omnis

la-

labor in effodiendo positus. Mærore igitur vrgẽte è paternis viscerib9 vocem ad Diuum Vincentium emittit, eumq; solum post Deũ liberatorẽ liberorum suorum appellat, & viuos conspecturum se omnes firmiter credit. Iubetq; remouere humum quantum possibile putat ad respirandum suffossis sufficere. Quod dum omnes maximò conatu faciunt, audiunt quidem vocem è terra quandam prosilire sed prorsùs nihil significatiuam. Instant igitur operi absque intermissione, imò maiori cum nisu & conatu. Ac inprimis effoderunt Ioannem septennem penitus vita carentem, tandem & Iacobum sexennalem omni spiritu carentem atque vltimo Adamum duodennẽ sed maximo cum periculo etiã suo, terra magis ac magis super eos ruẽte. Cæterùm pueri omnes inuenti sunt habitu sedentium & in modum orantium manibus complicatis. Quo signo per moti omnes,

qui humum illam effodebant vnanimi voce Diuum Vincentium ingeminarunt eiusque precibus & auxilio suffocatos illos tres pueros commendarunt. Interea temporis vinum de ablutione sacrorum eius cinerum allatum fuit, quo singulorum cadauerum ora, oculos & aures cum religione & spe firma madefecerunt. Cum ecce tres pueri illi velut è somno excitati parentem miraculi magnitudine consternatum alloqui cæperunt, omnesq; ad rei nouitatem accurrentes penè in admirationem redanimatione rapuerũt. Quod beneficium soli Deo læti parentes tribuendo, Missam de SS. Trinitate decantari à Monachis efflagitarunt, & in signũ gratitudinis, trium puerorum è terra prodeuntium effigiem apud Diui sepulchrum appenderunt die 19 Septemb.

Anno 1633. Margarita Sobkowicowa ciuis Andreouiensis filiolo suo agonizanti opem

opem à Diuo Vincentio petijt, infusaq; guttula vini ori eius quo ossa Diui abluta fuerunt in instanti sanatum eum à morbo vidit. Quare prostrata in terram adorauit Altissimum bonorum omnium vitæq; largitorem puerumque iam deploratum benè sanum & valentem ad tumulum Sancti præsentauit die 10. April.

Anno *1634.* Regina Sizwina de Badrzychowice, morbo graui oppressa quinq; diebus pro mortua censebatur, quod omnibus sensibus destituta, nullum aliud signum vitæ daret, præter respirationem exiguam quæ vix in speculo admoto deprehendi potuit. Igitur à Nobili matrona quadam eo superueniēte ad Diui Vincentij sepulchrum oblata vinoq; de reliquijs eius ablutis refocillata manifeste respirauit, & aliquot post horas ad se redijt. Ac tandem 15 Ianuarij tumulum Diui venerata, peractis Deo Præpoten-

ti

ti gratiarum actionibus domum incolumis redijt.

Anno *1634.* Sophia Snopkowa de Luborzyca, per annos quindecim & amplius asthma & sincopen passa, adextremum inopinato cadens super terram ab omnibus pro mortua habita est. Interim superueniente quadam piâ ac deuotâ matronâ, & multis sermonibus persuadente domesticis in Diui Vincentij patrocinium commendata fuit, vinoq; de reliquijs ipsius gutturi, infuso paulò refota, liberiorem respirationem in posterum habuit. Confestimq; omnium cum admiratione surgens sepulchrum eius sacrum visitare proposuit. Quod & præstitit 10. Februarij maxima cum deuotione.

Anno *1636.* Heduigis molinatoris Kszanensis vxor, filium paruulum ope Diui Confessoris vitæ & incolumitati restitutum ad sepulchrum eius obtulit Gratias Deo Præ-

po-

potenti agens, quod prolapsus in aquam & suffocatus, rotaque molendini totus contusus & fractus ad inuocationem nominis eius respirare, cæperit & paucos intra dies ad se redierit nulla alia medicina adhibita Præsentatus Andreouiæ 12. Maij.

Anno 1636. Christophorus Wroblik de Wasniowo, vxorem suam Emerencianam integro die partu laborantem Diuo Vincentio commendauit. Quod vt fecit illa quidem doloribus statim soluta fuit sed partum suffocatum enixa est. Igitur equo celeri fratri suo Alberto germano Vicario Opatouiensi de gaudio & mærore suo nunciat magnopere rogitando quatenus sacrificio celebrato partum exanimem Seruo Dei Vincentio in tutellam offerat, vt baptismo saltim redanimatus initiari possit. Paret lubens fraternæ petitioni Presbyter, & fiducia magna excitato rediuiuum Alberti nomine appella-

ri iubet. Nuncius itaque Opatouia reuersus in fantem viuum iam & sanum reperit. Quē deinceps parentes læti ad sepulchrum Diui magna cum religione 18. Septemb. præsentarunt Magnificantes Deum qui in Sanctis suis glorioſus est in sæcula.

Anno 1638. Christophorus Ruskowski Organarius de Konieczno filium suum itidem nomine Christophorum trium annorum morte abreptum ad inuocationem Beati Vincentij reuixisse bona fide asseruit quem ad Diui monumentum vnà cum filia quinq; annos nata nomine Barbara è semestri ægrotatione conualescentem præsentauit & miserationes Domini corde & ore confessus est. Quo miraculo omnium audientium ita exhilarata fuerunt pectora, vt omnes in laudes Dei Sanctiq́ue Vincentij per quem ipsi quoque beneficia poscerent protinus prorumperent.

An.

Anno *1640.* Lublini in foro Stramineo puer sex annorum ferè ceciderat in aquã ad molendinum maius protrususque impetu aquæ ad rotam ingentem grana tunc molentem confractus torus & suffocatus, motũ rotæ retinuit corpore suo ita stricte inter asseres intruso, vt cursus machinæ impediretur. Erumpunt itaque artis molinatoriæ homines, vt videant, quid cursum aquæ & rotæ volutationem impediat,& ecce puerum exanimem totumq; iam contusum motu ingenti rotæ illius aduertuut. Tandem catharactis aquarum seratis extrahunt, & cuia esset diligenter inquirunt. Tunc ad rei spectaculum concurrente vicinia mæsti quoque parentes interueninnt agnoscunt prolem suam & casum lamentantur plorant & tandem funus cogitant. Cum interim ad spectaculum magis ac magis plebe accurrente, duo quoque nobiles superueniunt, & eiulantem matrem

consolaturi, dicunt: Andreouiæ esse recenter nunc subleuata ossa Diui Vincentij Kadłubkonis ad cuius tumulum mira quotidie patrantur beneficia, & per viciniam vniuersam sicut expetuntur votis, ita præstante Domino nostro Iesu Christo frequentibus approbantur miraculis. Faceret votum sistendi se eo cum rediuiuo puero & Deus consolationis fortasse respiciet lachrimas suas: Facit mater quod suadetur & ecce malis rubescentibus puer quasi de graui somno suscitatus excutitur apertisque oculis mox se in pedes erigit & omnes tam inopinato miraculo consternatos ad reddendas præ gaudio cum lachrymas gratiarum actiones omnipotenti Deo concitauit die 22. Iunij Anno 1640. Cuius rei fidem & testimonia oculata perquisiuit Frater Iacobus Prior eiusdem Conuentus Andreouiensis Lublini tunc negotiorum causa commorans & Illustrissimo Antistiti

Re-

Remigio Koniecpolski tanquam Administratori Monasterij sui diligentissimè illico perscripsit.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM

De Animalibus à Sancto Vincentio curatis.

MVlta profectò sunt seruiDei Vincentij & admiranda valdè gesta, quæ, vel fama referente, vel virorum piorum authore testimonio, ad nos peruenêre, quæ tamen vniuersa stylo comprehendere non possumus; partim, ob infinitum laborem, in enumerandis nominibus & cognominibus eorum qui beneficia ab eo reportarunt; partim ob vitandam prolixitatem, & tædium legentium miracula sancti. Prout & illa, quæ in brutis animalibus sanandis Deus illius in-

terceſsione fieri voluit recenſere eſt difficilè. Verum ad elucidationē ſanctitatis Viri Dei, duo aut tria memoria digna exempla adferemus: ex quibus facilè quiſque agnoſcere poterit, quantus apud Summum Arctiatrum Deum ſit vir iſte beatiſsimus, quantumque valeat, vel obtinendo quæcunque popoſcerit, vel exterminando, quæcunq; in mortali vita conſtitutus vitauerit.

Anno 1634. Honeſtus Thomas Cyprijſki ciuis Andreouienſis, iter domo remotius agens, & equum, quo vehebatur, ex defatigatione, morbo ſibi incognito correptum habens, cum nullum in ſyluis conſultorem, aut remedium curandi habere potuiſſet & noctis ſuperuenientis tenebras ſolus exhorruiſſet, procumbens in genua Diui Vincentij opem calidis precibus exorauit. Et ab oratione firmior ipſe animo ſurgēs, equū quoq; ſanatum & robuſtum continuò animaduer-

tit,

tit, & reliquum itineris gaudens ac securus peregit. Tandem tumulum Diui adiens & glorificans Deum, equi efflicti statuam ceream inibi reliquit; vt per hæc recenseat memoria posterorum, quanta illic per nomen Vincentij claruerit gratia Dei.

Anno *1634.* Pauper agricola villæ Racouiensis, nominatus Ioannes Skowronek, bouem fluxu sanguinis interitui vicinum cernens, Diui Patroni sui Vincentij curæ indubitatæ commisit, sperans eum aratro vtilem fore ope illius cælitùs superueniente. Quod vt assequeretur promisit se loculum eius sacrum deuotè visitaturum, & oblaturum ad altare munus pro viribus & conditione sua. Audijt Sanctus, & misertus sortis clientis sui, bouem extemplò sanauit, ne inde ad egestatem vergere videatur. Et rusticus arietem pro boue restituto lubenti animo offerens, testatus est gratitudinem suam: & ad

rei

rei perpetuam memoriam inter alia apud sacrum eius tumulum mnemosyna appensa, taurum etiam è cera formatum die 28. Iulij reliquit, & in sancto Confessore Deum ipsum glorificans, lætus rus suum redijt.

Anno 1634. Sophia Raczowa Andreouiensis, vaccam, quam vnicam habebat, inedia pereuntem ob exulcerationem intestinorum, pane intincto vino S. Vincentij, & in os animalis infesto, subitò restaurauit, ac die sequenti ad mulgendum vtilem habuit. Quapropter miraculo permota, statim Diui sepulchrum adijt, & gratias Deo Præpotenti agens, miraculi seriem tabellæ argenteæ inscribi curauit, & die 19. Iunij. ad Diui Sarcophagum appendit.

Anno 1635. Sophia Flaczkowa, ciuis Pinczouiensis, vaccam morbo pereuntem Diui Confessoris Vincentij tutelæ commendauit: paucosque intra dies benè sanam, certo

to pretio vendidit. Deque pecunia illa, partèm pauperibus, partem ſacris faciundis in templo Cœnobij Andreouienſis dedit: reliquum verò in vſus proprios conuertit, apud tumulum Diui ſolennibus Deo gratiarum actionibus, pro beneficio tanto factis.

Anno *1635.* Sophia de villa Obidźiec, pecoribus, pecudibusq; vicinorum paſsim contagio pereuntibus, ſuum pecus quod nõdum peſtilentiâ vaſtatum fuerat D. Vincentij curæ commiſit, voto ſeſe obſtringens ſepulchrum illius ſacrum deuotè, & cum oblatione adituram. Ergo voti compos facta, die 21. Iunij promiſſum exoluit Deo gratias referẽs, cunctisq; mente douota patefaciens, quod

per Beatum Vincentium pecus ſuum
periculum contagionis
euaſerit.

Caput Vigesimum Octavum.

De punitione, illudentium Viro Dei, atq; negligentium reddere vota promissa.

SAnctus & magnus Confessor Dei Vincentius, apertissima mortalibus conferens beneficia, contra omnes morbos ac vitia, morbo etiam punire voluit sanctitati suæ, homines minus affectos aut in votis Deo pro acceptis beneficijs, exsoluendis negligentes: vt & intemperantem illorum linguâ castigaret, curādoq; illatum in pænā dolorē, benignum se clientibus suis monstraret, & horum ingratitudine exprobratâ alios in reddendis gratijs debili admoneret.

Anno itaque 1634. Honestus Ioannes Madeyski. artis ephippiariæ ciuis Andre-

dre-

dreouienſis, febri maligna oppreſſus anno ſuperiore, 1633, voto ad tumulum D. Vincentij facto, miraculosè conualuerat, vſumq; gradiendi deperditum, veniens ad Ædem ſacram recuperauerat. Sed quia à potationibus & ebrietate aſſueta, vti Diuo ſuo patrono & Deo Omnipotenti promiſerat, non deſtitit, in eundem ferè morbum anno ſequenti incidit, vlceribus inſuper, & ilei inteſtini cruciatibus caſtigatus. Quare obrutus ſuperuenientibus malis, iterum Serui Dei opē implorat, vota noua addit, & vitæ diſſolutioris emendationem ſeriò promittit, modo priſtinæ ſanitati reſtitui poſsit. Audit ille benignè; & media nocte ad ſe clamantem, ſomno iucundo beat, & malis omnibus diuinitùs medetur. Expergefactus igitur poſt aliquod tempus, qui malè habebat, cum per omnia ſanum ac ſoſpitem ſe videt, cæpit flexis genibus, in gratiarum actionem, Roſarium B.

V. Mariæ recitare: & ecce interim videt processionem Monachorum Cistercienſium, è ſacrario templi ad Cœnobium ſiti procedere, per ambitum Monaſterij, ad Sarcophagum. Diuo Vincentio nouiter exſtructum. Ad quod duæ candelæ ſupramodum lucentes locatæ erant: tertiã verò vir quidam aſpectu venerabilis, & habitu Epiſcopali veſtitus manu vna tenebat, altera verò librum precationum. Tandem Monachus veſtitu albo procedebat Sacroſanctam hoſtiam deferens in vaſe argenteo (vulgo Monſtrantia dicto) quem penè ſequebatur Angelus, manu vna baculum paſtoralem, altera verò tiaram Põtificiam gerens. Deinde præibat tumbam cum reliquis ſtella è cælo perueniens lucidiſſimam Capſam autem ſeu loculum portabãt quatuor monachi ſertis aureis redimiti. quos iterum ſequebantur duo venerabiles Monachi, iunior alter & alter ſenio decorus, qui

mani-

manibus ſuis coronam lucidiſsimam geſtabant. Qui omnes ad altare maius accedentes Sacroſanctam Euchariſtiam ibi locatam adorabant; & tandem ad ſupradictum ſepulchrum ordine ſuo procedentes, tumbam ſeu capſam cum reliquijs quas honorifice deferebant, in illud cum reuerentia depoſuerunt. Tunc Epiſcopus ille, qui cereum manu tenebat ad ſepulchrum illud aſſtans, exſtincto lumine continuò diſparuit. Et Angelus ſimiliter cum illo. Monachi verò qui tumbam deferebant, aut proceſsionaliter incedebant flexis ad tumulum genibus, aliquã tulum orarunt, ac poſtea omnes ſimul diſparuerunt. Prædictus verò Ioannes Madeyſki qui hanc viſionem habuit, conſternatus animo, corpore quoque totus tremebat, & Diuum Vincentium iteratis vocibus ingeminando, firmiſsimo ſe voto obſtrinxit, abſtinere ab omni peccato & ebrietate, ac prima

luce ad tumulum eius currens, recuperatæ sanitatis simbolum tabulæ argenteæ impressum, in pariete appendit, & quam viderat visionem, glorificans Deum, Sodalibus Cœnobij iureiurando expositi, sacris ac Diuinis mysterijs præmunitus.

Anno *1634.* Staniſlai figuli Neokorczynenſis, vxor nomine Sophia, morbo grauiſsimo ex Artetica, Ophtalmiaq; commixto, periculosè decumbens in lecto, cum iam loquellam amiſiſſet, vino de ablutione reliquiarum S. Vincentij à marito peruncta & potata miraculosè vitam à Deo impetrauit & incolumitatem. Sed quia ſepulchrum Diui, ob curas domeſticas viſitare neglexit, poſt elapſum ſemeſtre, ijſdem affectionibus, aut forſan grauioribus punita, iterato votis & donis placat Sancti Confeſſoris gratiam: promittitq; ſeriò ac ſedulò, ad tumulum eius ſacrum accedere venerabunda, quam primùm con-

conualuisset peregrinatione pedes susceptа. Igitur sic animata conualuit, & ad redditionem gatiarum properauit die 6. Augusti. cum nusquam fuerit difficile Deo, exaudire preces miserorum, fideliter ad se clamātium. Et mulier impetrata venia, impetrauit simul & sanitatem. Fletusque ab omnibus præ lætitia, Deo laudes, Deo gratias, clamantibus cum marito. Crescit debito Confessori reuerentia, fama volat per totam viciniam, discurritque longius per totam Poloniam, quod eis Dominus patronum tanti meriti excitâsset, qui sibi contra omnia aduersa præsidio, vel remedio esset.

Est & aliud miraculum, quo Dominus voluit omnibus testatum efficere, quantis ornatus sit meritis Antistes beatissimus, Vincentius Kadlubkonis. Episcopus quidam visitans sepulchrum eius cum deuotione, vt natura facetus erat, abitionem parans & iter suum

um prosequens, iocosè quidem, quoad sæculum nostrum & mores deprauatos, sed parũ considerate, quoad viri Dei humilitatem & sanctimoniam, ad suos conuersus dixit. Magna profectò huius Sancti moderatio animi & humilitas, qui Senatoria Pontificiaq; dignitate spretâ, insulsorum Monachorum sese discretioni commiserat. Quod si ego ad similem insaniam deueniissem aliquando, rogo vos, ligatum potius sub custodia asseruate, quam vt me monachum fieri permittatis. Vix effatus ista, cum ecce Nemesis à tergo superueniens, horrore quodam totum perfudit, & rhedam conscendentem frigore primò ac æstu postea ingenti febris quartanæ exagitauit. Quo malo anno integro quassatus, cum iam sibi finem vitæ imminere animaduertisset, deq; commissis culpis seriò dolere cœpisset: ecce videt senem quendam venerandum, habitu monacha-

chali albo ſplendentem ad ſe venire, qui talibus eum affatus poſtea diſparuit. *Ego ſum*, inquit, *Vincentius de domo Roſarum, cui tu nuper illuſiſti: rogaui pro te Altiſſimum, qui veniam tibi dedit, ſed vitã prolõgare noluit.* Epiſcopus ille tali nuncio conſternatus, in lachrymas prorupit, & culpam deprecatur, pectuſq; crebro tundens, almi Patris auxilium poſsit; & familia conuocata, domum ſuam diſponit, ſacris ſe myſterijs & viatico munit, tum deniq; manibus extenſis ad Deum, ſpiritum ei magna cum fiducia reddidit. Oſtenditq; in eo virtus diuina geminam potentiam, tum vindictæ, tum veniæ.

Anno 1638. Generoſus Euſtachius Domaſzewſki, ex Diſtrictu Lucouien. de Armis Oſtrew. 16 Maij Andreouiam veniens, viſitare limina S. Vincentij Kadłubkonis, vnà cum ſocero ſuo Nobili Georgio Czekanowſki, & vxore ſua Anna de Zaſkocze, è Satrapia

Culmensi, eiusmodi relationem suæ ægritudinis atque conualescentiæ in Monasterio reliquit. Tempore, inquit, quodam Carmelita Cõuentus Cracouien. veniens ad hospitium meum Lublini petijt à me dari sibi eleemosynam; quam vt abundantiorem haberet, offerebat mihi particulam laterculi de sepulchro B. Vincentij, cuius miraculorum fama tunc percrebuerat in tota Polonia. Cui ego (parum de miraculis credēs, quæ passim à Monachis sparguntur) Pater, scio pro certo hunc laterculum esse simplicem, nec virtutem in se vllã sanandi morbos habere, sed vt liberaliores tibi patronos efficias, soles vnicuique eiusmodi munus offerre. Hæc quia seriò locutus sum, & laterculum illum contempsi, statim morbo Hemorogidiaco correptꝰ fui, magisq; ac magis in dies intestinorum dolorem persensi, qui me ad animi deliquium adigebant. Sumpsi & de laterculo illo à Carmelita mihi

obla-

oblato aliquoties; ſed fruſtra, & abſque vllo profectu: Numine Sancto meam incredulitatem per biennium puniente. Accidit, vt villam Opalenicza, propè Brodniciam, deſcenderem conſultò ad nobilem quandã matronam, & pietate conſpicuam, Euam Rokitnicka, quærens ab illa remedium aliquod infirmitati meæ. Hæc inter reliquias diuerſas, habuit quoque particulam laterculi de ſepulchro B. Vincentij, monuitque me primò, vt fide plena, & deuotione religioſa erga hunc Sanctum, ſumerem pulueris parùm cum vino, obſtringeremq; me voto adire tumulum eius ſacrum, & munus aliquod, cum gratiarũ actione offerre, atq; perpetuò habere illum in Patronum ſibi. Feci, quod iuſsus eram, & vino illo cum fidúcia magna hauſto, protinus conualui. Atque ideo hanc peregrinationem ſuſcepi, vt voto exſolutus, quam Deus miſericordiam facere mecum, huius San-

cti interceſsione dignatus eſt, vobis Patres Religioſiſsimi ſepulchri illius cuſtodibus, ore, & ſcriptura mea, teſtatam facerem.

CAPVT VIGESIMVM NONVM

De Teſtimonijs piorum Virorum, obtentæ per Diuum Vincentium, priſtinæ ſanitatis.

QVam etſi optimè ſciam & credam, quod excellens gloria ſeipſa ſit contenta, nec vnquam alieno præconio egeat: præſertim illorum qui in cælo coronas adepti, cum Chriſto regnant, nulli blaſphemiæ, incredulitatis, aut maledicentiæ obnoxij: Tamen, vt ad eorum quoque notitiam, Sanctorum indubitata beatitudo, & virtus patrandi miracula, perueniat, qui nondum nati ſunt: ideo, multi illuſtres in Eccleſia Dei

Dei viri, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, diuerſorumq; Seruorum Dei vitas conſcripſêre, vt in eis illuſtretur potentia Diuina infinita, quæ à cælo in ima terrarum quoque defluit, bonitatem Dei ſecum deferens, & opere ipſo confirmans illud Dauidicum. *Quoniam in æternum miſericordia eius.* Hæc ſiquidem fragilitati noſtræ, vſque ad extremum mundi patrocinabitur, & ſubueniet in neceſsitatibus noſtris. Quemadmodum igitur omnes illi feliciſsimi ſunt, & dicuntur, qui in eam curam diligenter incumbunt, vt per veram fidem, firmam ſpem, & indiuiduam charitatem, ſemper maneant in Chriſti corpore myſtico, quod eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis: ita è diuerſo, non poſſunt non eſſe infeliciſsimi, & omni prorſus dono viuificantis Dei gratiæ non deſtituti, qui ab hac Eccleſia, per Schiſmata, & varias Hæreſes ſegregati, in tales

præter alios errores delebuntur, vt non admittant inuocationem Sanctorum, non credant tot & tam euidentibus miraculis, ad sepulchra eorum patratis. Proinde ad conuincendam talis impiam contumacemq; incredulitatem Diui Vincentij admirabiles virtutes, Diuina gratia nobis exhibitas, piorum virorum, & in dignitate functioneq; Ecclesiastica constitutorum, testimonijs, in illis ipsis declaratas, nonnullas hîc adferre voluimus. Et in primis.

Anno *1636*. Ego Martinus Zdziewoyski Vicepræpositus Pilcensis, S. Authoritate Apostolica Notarius publicus recognosco præsenti attestatione mea manuali, venisse me exsoluendi voti gratia ad Conuentum Andreouiensem, qui eram graui febri continua per dies septem correptus à Dño, voto verò per Fratrem meum germanum Gregorium Zdziewoyski actu Diaconum facto de-

repen-

repente per Dei gratiam & interceſsionem B. Vincentij (vt ego credo) à febri liberatꝰ & priſtinæ valetudini reſtitutus fui.

Et incontinenti quoque ſimili affectione & morbo laborãs honeſtus quidam Ioannes Trzonſała faber ferrarius & ciuis Pilcenſis, tertio iam recidiuus, & ab vxore atque liberis ſuis deploratus voto ad Diuum Vincentium per vxorem facto conualuit. Quæ mox ad me cum lachrymis accurrit ſacrum Miſſæ ſacrificium fieri pro gratiarum actione vehementer rogitans Quod ego ſic & non aliter factum, eadem recognitione fideliter atteſtor Anno Domini 1636. die verò 16. April.

Ego idem qui ſupra m. p.

1636. Ego Valentinus Kraſzkowicz Vicarius Zarnouienſis ſimiliter recognoſco, quòd ſim expertus in infirmitate mea Beati huius Vincentij Kadłubkonis merita, præcipuè febri calida per quatuor ſeptimanas labo-

borans. Facto verò voto ab ea liberatus sum die 28. April. Anno 1636. *Idē qui supra m. p.*

1636. Ego Stanislaus Koszukowicz Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedr: Crac. Canonicus Sandecensis firma fide sentio, quod interuenientibus intercessionibus & meritis Diui Vincentij ad cuius solius opem confugiebam, bis à porta mortis reuocatus fui cum humana deficiebant subsidia. Votum prius non per me fuerat factum qui grauissima febri calida Dźierzązнæ laborabam, sed per pios fideles mihi decumbenti assistentes. Posterius verò votum ipsemet volens emisi graui laterum dolore & constipatione pressus, quod antea huius viri Dei meritis fuerim sanatus. *Ego idem qui supra m. p. Anno Dñi, 1636. die S. Helizabethæ sacro,*

1637. Ego Ioannes Smugowicz Plebanus in villa Zielenice testor hac scriptione mea, quod filia patrisfamilias dicti Blasij Pod-

sie-

ſiedlik nomine Eua annorum octo morti vicina, in Parochia mea, per inuocationem B. Vincentij, & per ſumptionem in parua quantitate lateris de ſepulchro Beati iſtius, conualuerit, & priſtinæ ſanitati reſtituta ſit. De quo fidem facio. *Idem qui ſupra m. p.*

Anno Dñi 1638. 7. Nouemb. Ego Frater Carolus Traffarowicz Fratrum Eremitarum Ord S. Pauli Primi Eremitæ Presbyter Profeſſus, pro tunc Concionator Ordinarius Conuentus Pinczouienſis, poſtquã in malignam febrim in Conuentu Clari Mõtis Czeſtochouieñ. incidi, & vinum, quo lauabantur oſſa B. Vincentij, fide firma, & deuotione maxima erga eundem, ſumpſi. Ex tunc ad priſtinam valetudinem redij. Quocirca in recognitionem tanti beneficij Deo Opt. Max. imprimis, & eidem B. Vincentio. ſepulchrum eius viſitaui & vota mea ſupplex eidem perſolui. *Idem qui ſupra m p.*

Ego Ioannes Sadkowſki Præpoſitus Eccleſiæ S. Iacobi Cazimiriæ ad Cracouiam, Varſauiam iter agendo Andreouiæ in oppido in infirmitate mea, quæ mihi deuenerat, vnde neſcio: ſed fortaſsis ex frigore ingenti. Feci votum ad B. Vincentium, cuius corpus ſepultum in Monaſterio Reuerendiſs. Ord. Ciſtercienſium ad oppidum hoc ſito, & per eius interceſsionem & miſericordiam Diuinam conualui die 2. Ianuarij 1638. ad cuius rei fidem ſubſcribo me manu propria.

Ego Staniſlaus Suchorabſki Vicecuſtos Eccleſiæ Collegiatæ Viſlicenſis, bona conſcientia recognoſco matrem meam Catharinam dum votum in manibus meis, iam iam agonizans, poſt extremam vnctionem ſuſceptam, faceret, vbi primum conualuiſſet viſitandi ſepulchrum B. Vincentij, ſubito cõualeſcere cæpiſſe; ſucceſuq; temporis vti ad bonam & perfectam redijt ſanitatem, votum

hoc

hoc exsoluisse Anno Domini, 1638. die verò 7. Iunij. *Idem qui supra m. p.*

Ego Cyprianus Ioannes Machowski Plebanus Niegouiensis Anno Dñi 1639. A Dominica Passionis, toto residuo tempore Quadragesimali, graui morbo correptus decubui, omniq; motu corporis carens, & destitutus humanis auxilijs, ad diuina me contuli præcipuè Clari montis Czestochouien. ac villæ Lesniow visitationē. Sed postquam relatum accepi de miraculis ad sepulchrum B. Vincentij Kadlubecij Andreouiæ ab ope diuina alijsq; donis collatis quibus mortales sunt sanati maximopere innotescere, ad eundem vnà cum alijs parochianis meis maximè verò pauperibus me contuli, repenteq; vigorem in me sentiens post vnam atque alteram Septimanam pristinæ valetudini sum restitutus. Ad cuius tumulum 4. Iulij Omnipotenti Deo gratias cum prædictis pauperi-

bus persolui, in Monasterio Andreouiensi. Anno Dñi 1640. *Idem qui supra m. p.*

Ego Nicolaus Raphanius Plebanus Golcensis, testor quia Generosa Dña Sophia Belchacka, sub Parochia mea existens graui morbo laborauit, ita vt iam penè agonizaret & loquellam perdidisset. Quæ per me voto facto ad sepulchrum B. Vincentij sana facta est Anno Dñi 1639. die verò 2. Iulij.

Idem qui supra m p.

Sed quid mirum, si tam mira in his qui testimonium perhibēt veritatis efficit vir admirabilis Vincentius? immò vero non ipse, sed Deus in illo? Alioquin, *Tu es Deus*, inquit regius Psaltes, *qui facis mirabilia* Nos autē populꝰ tuus, & oues pascuæ tuæ, non aliunde salutem expectantes, nisi à te, Domine, qui creasti, & redemisti nos. Et cui pro tam immenso beneficio, & amore ineffabili, sit à nobis, & ab omni creatura, Gratia, Gloria, & Honorificatio, in sæculorum sæcula. Ca-

CAPVT VLTIMVM.

Breuem Paræneſin ad Sodales Ciſtercienſes, Andreouiæ habitantes, continens.

QVemadmodum diuitibus ſæculi huius, mos eſt, ad Regiam procedentibus, ante ſe viros induſtrios præmittere, qui hoſpitales muſas, & neceſſarios ſibi apparatus commodè procurent: ita vobis Fratres Chariſsimi, in militanti hac Eccleſia conſtitutis, gratum ſit, è Ciſtercio Andreouienſi, præmiſiſſe ad Curiam illam cæleſtem, quo omnes properamus, tot viros Sanctos è medio veſtrum, Polono ſanguine cretos, qui interim, & apud Supremum Numen, vobis ſint placidi oratores, & in quibus vos ſuſcipiant poſtmodum, ſydereas prouehãt in mãſiones Quos inter, habetis inclytum Antiſtitẽ Vincentium Kadłubconem Epiſcopum Cracouienſ: qui in corpore degens, Chriſto Redemptori ſuo, ita accuratè ſeruiuit, vteum

pauperem imitari cupiens, paupertatem voluntariam adamauerit, Senatoriâ, Pontificiâque dignitate relictâ. Pro tantis igitur virtutibus, & humilitate, post obitum in cælum receptus, sociatusque Sanctorum Confessorum agminibus, regnat coronatus in gloria cælesti, Regni nostri Polonici miserias prospiciēs, & necessitatibus popularium suorum quotidie subueniens apud Deum. Habes igitur Andreouia tuum singulare solatium, obtines speciale patrocinium, & inter alios quos præmisisti intercessores, peculiari dono Dei, possides tutelarem tuum Diuum, auerruncatorem mali Vincentium Kadłubcum. Per eius siquidē merita, cœpit tui profectus initium: cum Ioannes quintus numero, Abbas tuus á Boleslao pudico sanctissimo atque liberalissimo Principe, Iuris Theutonici libertates, oppido vestro impetrasset, & prærogatiuas omnes: quibus deinde in omnem profeci-

feciſtis honeſtatem, pleriſque alijs, clarioribꝰ oppidis, in ſenium quodammodo abeuntibꝰ. Per hunc tutelarē tuum effloruiſti, vnà cum Cænobio in pulchræ iuuentutis ſtatum, diu ab omnibus ſpreta. Nunc te protegit ſuis ſuffragijs Sanctiſsimus Præſul, qui te hucuſque prouexit, vt inclareſcente in dies Vincentij nomine, Andreouia quoque paſsim prædicetur. Ab eo ſiquidem tempore, quo ſacri eius Cineres ſubleuati ſunt. tot in templo veſtro, Sodales Chariſsimi, edita ſunt miracula, tot hominum peractæ ſunt gratiarum actiones Deo, vt numerari non poſsint. Quādo omnibus per eius merita Numen Æternum illic inuocantibus in veritate, nunquam non patuit Diuinæ miſericordiæ oſtium. Hunc igitur vobis Fratres Chariſsimi, omnibusque Poloniam inhabitantibus, Sacri veſtri Ordinis Ciſtercienſis Profeſsis, quaſi ſpeculum quoddā poſt Mellifluum Patrem veſtrum Bernardum

pro-

proponimus, in quo internam veſtram faciem adſpiciatis,& pulchritudinem imitemini conſeruando firmiter Dominica mandata, inque ſimplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, diligentiam in adminiſtratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, miſericordiam in fauendis pauperib9, liberalitatem in demonſtrāda hoſpitalitate, in defendenda veritate conſtantiam, in perferendis iniurijs patientiam,denique in diſciplinæ ſeueritate perſeuerantiam retinendo; quâ hactenus in Eccleſia Dei viguiſtis,& tot Religioſis Ordinibus veſtro exemplo præluxiſtis Quapropter, nunc quoque cuſtodientes fidei tenorem,vocationi veſtræ attendite, nouitates omnes vanas, fugite, & æmulemini in Sanctis Dei chariſmata meliora, ipſi quoque Chriſti bonus odor futuri. quod optamus, quod vouemus animo.

FIAT FIAT.

In laudem Ordinis Ciſtercienſis. EPIGRAMMA.

Reuerendi Patris, Fratris, Alberti Tarlouij, Monaſterij Mogilenſis, alias Claræ-tumbæ Profeſsi.

CVm rutilat ſurgens cælũ formoſus Apollo
Protinus igniferis ſydera pellit equis:
Nox fugit, vt veſtit croceo velamine terras
Oceani, & rubris crinibus ortus aquas.
Sic oriens mundo celebris Ciſtercius Ordo,
Æthereo infecit lumine vtrumq; polum
Huic tamen abruptis habitanti collibus, atq;
Jam genitæ proli fama ſuperſtes erit:
Bernardum peperit fragrantem floribus Æthnæ
Nectare nutritum lacteq; Virgineo.
Agmina Sanctorũ generauit Principi Olympi
Pontificum pariter, quos modò Roma beat.
Hos virides offert Chriſto floreſq; vireta hæc
Jn roſeis calathis quæ ſuus ortus habet.

Hexastichon in laudem eiusdē Ordinis

Vt rutilum sydus quondam Cistercius Ordo
Splenduit & purum sparsit in orbe iubar
Melliflui fulgens Bernardi Spiritus almus,
Noctibus astrum ardens solq́, diebus erat
Ast vbi luciflui radiantia lumina solis
Condidit occasus, nocte tegente polum:
Abdidit almificam lucem nox tetra tenebris
Sorduit ordo sacer, languit & omne decus.
Protinus emicuit iam claro mane retecto
Matutinum astrum, sole micante nouo
Exoritur lumen cæli obseruantia sacra.
Omnem opplens terram, lumine sydereo.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO
8932
I 6

89 32
0